



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1546. usque ad annum 1549

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1770


VD18 90118529

Liber CXLIV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66608)



HISTORIÆ
ECCLESIASTICÆ
LIBER CXLIV.



PAULUS III. ROM. PONT.
CAROLUS V. IMP. OCC.

§. I.

*Articulus de abusibus duo priora Sa-
cramenta tangentibus.*

Examīnatis hisce articulis dogmata Sæcul. XVI.
A.C. 1547.
fidei concernentibus, ea, quæ re-
formationem respiciunt, in sequen- Sarpi hist.
Conc Trid.
tibus Patrum Conventibus fuere propo- l. 2. p 227.
sita; cum vero circa abusus, qui in Sa- Pallav hist.
Conc Trid.
cramentorum administrationem irrepse- l. 9 c. 9. n. I.
runt, res jamjam fuisset discussa, uni-
ce Juris Canonici Doctores pro colligen-
dis, atque emendandis hisce corrupte-
lis

Q 4

Sæcul. XVI lis sex hosce proposuerunt Articuli
 A C. 1547. los.

I. *Sacramenta Ecclesie gratis sunt conferenda, neque quicquam propter eorum ministracionem quovis prætextu exigendum, aut petendum: neque arcula, vas, aut vestis pretiosa, aut aliud quid simile coram deponendum, unde tacite aliquid peti videatur. Non negandum, aut differendum Sacramentum prætextu cujuscunque longæ, & antiquæ consuetudinis, de eodem non ministrando, nisi accepta prius certa mercede aut prioris debito soluto; quandoquidem neque prætextus consuetudinis, neque temporis diuturnitas diminuit peccata, sed auget, & qui contra faciunt, obnoxii sunt legibus contra Simoniacos sancitis.*

II. *Sacramentum Baptismi non est in locis profanis, aulis, vel cameris, aut aliis privatis domibus conferendum, sed duntaxat in Ecclesiis, nisi necessitas emerferit, aut liberis Regum & Principum sit deferendum, juxta Clementis V. constitutionem; que non in omnibus Principibus, sed summis locum habet: neque ab Episcopis oleum Crismatis dandum, nisi decenter vestitis, idque in templis, locis sacris, aut ædibus Episcoporum.*

III. *Sacramentum Baptismi a Sacerdotibus peritis, & idoneis in Ecclesiis matricibus solummodo ministrandum, in quibus sunt fontes ad hoc specialiter deputati: nisi*
 orantes

propter profectiois molestiam Episcopis Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 commodum videatur aliam Ecclesiam per-
 mittere; aut id ante sit concessum longissimo
 tempore, cujus initii non extat memoria,
 atque aqua benedicta ex Ecclesia matrice in
 alias allata, in vasculo mundo, ac decenti
 custodienda.

IV. In Baptismo, & Chrismate mi-
 nistrandis unus tantummodo susceptor ad-
 mittendus, qui infamis non sit, aut a pio-
 rum communione exclusus, Ecclesie sacris
 interdictus, impubes, monachus, aut alius,
 ad sponsonem præstandam inidoneus, neque
 in Chrismate alius in Patrinum adhibendus,
 quam qui ipse oleo Chrysmatis inunctus.

V. Ad abusum tollendum, qui multis
 in locis inolevit, circumferendi aquam lu-
 stralem Baptismi, aut deducendi parvulos
 Chrismate perunctos fronte ligata, ut ea a-
 qua manibus lotis, aut frontis ligamento
 laxato, plures susceptores liberis suis com-
 parent, quandoquidem nulla spiritualis pa-
 rentela hac via contrahitur, Sacerdotibus
 non permittendum, ut aqua Baptismi e tem-
 plo exportetur, sed in sacrarium statim in-
 jiciatur, & fons baptisterii occludatur. E-
 piscopis quoque providendum, quoties Chris-
 mate inungunt, ut præ foribus templi duo
 clerici stent, qui frontes Chrismate unctorum
 solvant, & abluant, neque ullum ligatum
 sinant e templo prodire.

Sæc. XVI. VI. Curent item Episcopi sedulo, ne
 A.C 1547. quem excommunicatum, sacrorum usu inter-
 dictum, in peccato mortali hærentem con-
 firment.

Non defunt tamen Scriptorum nonnulli, qui in actis hujus Synodi de hisce articulis nullam omnino mentionem fuisse factam referant. Porro qualitercunque res se habuerit, id extra omne dubium est positum, quod iidem merito fuerint proposita; nam cum reapse tales corruptelæ invaluerint, æquitas etiam postulabat, ut eæ attentamente perpenderentur: cum vero tum Patrum sollicitudinem magis occupatam tenerent dogmatum quæstiones, hinc illas etiam his præferre oportebat.

§. II.

Canones circa Sacramentorum materias.

Igitur Patres, qui pro decreto circa has quæstiones efformando nominati erant, conventu habito Theologorum sententias, necnon determinationes, de quibus inter eos convenerat, examinarunt, ommissis illis articulis, quos tum nondum tangendos censebant. Postea circa Sacramenta *in genere* quatuordecim anathemata, præter alia decem de Baptismo, ac tria de Confirmatione
 con-

confecerunt, adeo, ut duntaxat hære- Sæcul. XVI.
 ticorum errores damnarentur, præter- A.C. 1547.
 missis opinionibus illis, circa quas di-
 versa erat Theologorum sententia. Hac
 itaque ratione neutra pars offendeba-
 tur: verum non eadem erat animorum
 consensus, ubi de concinnandis doctri-
 næ capitibus agebatur; non enim ex-
 peditem erat sequi methodum, quæ in
 Sessione præcedenti circa justificatio-
 nem fuit servata; cum nulla excogita-
 ri posset ratio, quas adhibitis unius opi-
 nionis verbis contraria sententia non
 profus rejecta videretur, ut proin hæc
 res novæ dissensionis fomentum præ-
 buisset: eapropter placuit Patribus ad
 Congregationem generalem remittere
 discussionem decreti explicantis mo-
 dum, quo Sacramenta gratiam conti-
 nere, ac conferre statueretur. Ast hoc
 conventu habito Patres easdem expe-
 riebantur difficultates, cum eorum non-
 nulli doctrinæ articulos penitus omitti,
 & duntaxat anathemata proponi, sicut
 circa peccatum originale factum, po-
 stularent: alii econtra rem eo, quo
 cæpta est, pede proseguendam esse con-
 tenderent, tantamque adhibendam esse
 prudentiam, ut omnibus satisfieri, nec ul-
 lum schismatis periculum timeri valeat;
 nil enim Theologi sibi animo magis con-
 stitutum habere jubebantur, nisi ut hære-
 tico-

Sæcul. XVI
A. C. 1547. *ticorum errores condemnent, eosque va-
lidis rationibus convincant.*

Posterior hæc sententia abs dubio fuisset adoptata, moxque Patres concinendis capitibus manum admovissent, nisi Joannes Baptista Cicala Albinganensis Episcopus, ac Rotæ Auditor sese ei opposuisset, hæc affirmans: *Historias veteres percurrenti vix unicus occurreret, qui opinionem propriam abdicavit, quamvis esset publice damnata, nisi coactus, Et tametsi Catholici omnes Ecclesiæ Romanæ judicio se submittant, si tamen opinionem suam sentiant reprobari, ab ea non ideo discedent, sed pertinacius animosiusque eam propugnabunt, ab ipsa oppositione vires, animumque sumentes: ita ex sectis hæreses generantur, quas qui præpediri cupit, huic omnes opiniones sunt tolerandæ, procurandumque, ne una alteram damnet, sed pacifice, ac quiete suam sibi quisque habeat, neque unquam una cum altera sic pugnat, ut moderatione hac adhibita, detrimenta inde oriantur: contra vero ea neglecta, discrepantia in verbo uno, imo in minimo apice, satis est, ad orbem in partes dividendum. Multæ opiniones novatorum hujus ævi potuissent tolerari, si modeste eas asseruissent, nec Ecclesiæ Romanæ fidem, Et Scholarum doctrinas damnassent. Coactus inde Leo X. Pontifex contra Lutherum tela rector sit, quæ in Sedem Apostolicam ille vibraverat,*

verat. Ceterum, prosequatur prae-
 dens ille Antistes, *usitatae Doctorum* Sæc. XVI.
A.C. 1547.
 in simili casu attestationes, vi quarum semet-
 ipsos Ecclesiae arbitrio permittunt, verba
 sunt, quibus de more fidem & observantiam
 suam homines profitentur, quibus pari re-
 spectu est respondendum, in partium contra-
 rietate neutris adhærendo; sic enim mori-
 bus est comparatum, ut, qui ab alio cul-
 tum exspectat, eundem ipse reverenter ha-
 bere debeat, neque facile credendum, eum,
 qui se paratum dicit ad se submittendum,
 ac subjiciendum, eo esse revera animo, si sui
 prodendi occasionem adipiscatur. Indicio
 manifesto est Lutherus, qui, quamdiu erat
 illi negotium cum solis fratribus Indulgen-
 tiarum in Germania præconibus, aut cum
 Theologis Romæ, Papæ se arbitratui ver-
 bo permittebat: ubi vero Pontifex, quod in
 speciem ille promiserat, urgebat, ut re com-
 probet, non modo Martinus promissioni sta-
 re recusabat, sed mox in Papam ipsum a-
 cerbius invehebatur, quam nuper in quæsto-
 res illos in Germania debacchatus erat.

§. III.

*Legati nonnisi Canones promulgare,
 a Papa jussi.*

Animis ita in diversa distractis Lega-
 ti, cum pro suo arbitrio nil decide-
 re vellent, Papam consulere statuerunt,
 ut

Sæcul. XVI. ut mandatum de iis, quæ in proxima
A.C.1547. Sessione decernenda essent, acciperent:
 eapropter datis ad eum literis non modo Canonum instructorum exemplar, sed etiam relationem difficultatum, quæ tam in materia fidei, quam emendationis negotio tollendæ supererant, ad eundem transmiserunt, simul ei exponentes, quod interim easdem materias rursus expolire, ac quæstionem de *Beneficiorum pluralitate* jam antea propositam serio examinare vellent: Ad hæc Pontifex mense Februario Legatis suis respondit, hæc significans: „ Quoniam „ doctrinæ capita de Sacramentis abs- „ que metu diffensionis inter Theolo- „ gos conflandæ explicari ægre valent, „ hinc eadem omitti, ac nonnisi Cano- „ nes unacum anathematibus promul- „ gari volumus: supprimenda insuper „ sunt Canonistarum scripta circa abu- „ sus, qui in Baptismi, & Confirma- „ tionis administrationem irrepsisse di- „ cuntur. „

§. IV.

Articuli de emendatione in Congregationibus examinati.

Interea omni die, excepta Dominica, privati habebantur conventus, ut articuli de Reformatione examinarentur:

tur: tandem vero vigesima quarta Fe-
 bruarii in generali Congregatione hanc
 in rem decreta a quibusdam Patribus
 ad id designatis concinnata proponeban-
 tur, quibus tamen itidem Fesulanus
 Episcopus sese opposuit, ægre ferens,
 quod ibidem Episcopis nonnisi tanquam
 Sedis Apostolicæ Delegatis agendi fa-
 cultas tribueretur. Ejus sententiæ Pa-
 cecus quoque Cardinalis, aliique Præ-
 fules Hispani accesserunt. Verum pri-
 mus Legatus brevi hanc contentionem
 sedavit, Patres hortatus, ut se pro ea,
 quæ Episcopos Christianos decet, mo-
 destia gererent, nilque nisi pacem, at-
 que unionem quærerent: Altera vero
 die vigesima quinta Februarii in con-
 ventu hæc exposuit: *Volo solatii com-
 muni gratia Epistolam Farnesii Cardinalis
 recitare, qua nuntiatur, in Senatu decima
 octava Februarii diploma fuisse a Pontifice
 promulgatum, vi cuius Cardinales in suis
 Diæcesibus permanere jubentur: illis vero,
 qui plures Episcopatus habent, præcipitur,
 ut nonnisi uno retento ceteros intra semestre,
 si illos a Papa, si vero ex aliorum collatio-
 ne acceperint, intra annum dimittant.* Hoc
 Decretum Cardinalis Cervini suasu con-
 ditum a singulis Patribus ingenti gau-
 dio fuit exceptum.

§. V.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

§. V.

*Hi Articuli ad quinque capita
reducti.*

*Pallav. l. c.
4. c. 9.*

Verum prius circa Reformationem quinque examinabantur capita, quæ erant sequentia: I. *Ut impropterum rei consuleretur, tamque fortis agger hujus corruptelæ cursui opponeretur, prohibetur, ne videlicet Sacerdotia, quæ suapte natura mansionem exigunt possidentium, copularentur, aut commendarentur, nisi necessitas cogeret: hic abusus centum jam annos firmus adhuc persistebat.*

II. *Quod etiam ad præteritum spectat, a singulis aufert Synodus possessionem plurium, quam unius Ecclesiæ Cathedralis, quocunque tandem nomine obtinerentur, quod etiam in Cardinalibus observatum est.*

III. *In minoribus Sacerdotiis potestatem Episcopis fecit expendendi legum laxamenta, per quæ a singulis fuerant impetrata, ex præscripto Synodi Lugdunensis, ac præterea, etiamsi ea rite impetrata comparissent, eisdem injunxit, ut idoneos Vicarios constituerent, quibus congruentem proventuum partem attribuerent, ne animarum procuratio, & Ecclesiarum cultus ullo pacto negligerentur.*

IV.

IV. Si hæ Sacerdotiorum conjunctio- Sæcul. XVI.
 nes non essent ad vitam possidentis, sed per- A C. 1547.
 petuæ, Episcopis commisit, ut cunctas eo-
 rum concessiones a quadraginta annis habi-
 tas, in examen revocarent, & , quamvis
 reipsa in opus deductæ fuissent, eas abroga-
 rent, ubi compertum esset, illas aut falso
 probato, aut vero occultato impetratas.

Postremo statuit, ut illæ, quæ infra
 quadraginta annos concessæ fuerant, quæve
 in posterum concederentur, coram Ordina-
 vio examinarentur, accitis iis, quorum in-
 teresset: atque ubi causis rationi consenta-
 neis illæ nequiquam niterentur, earum con-
 cessio tanquam per dolum extorta rejiceretur.

Verum circa hosce articulos varias
 quisque opiniones fovebat, ac non pau-
 ci insistebant dispensationibus, ex qui-
 bus tamen potissimam partem omnes
 corruptelæ invalescebant.

§. VI.

Diversæ Præsulum opiniones circa pluralitatem Beneficiorum.

Interim Præsulum nonnulli censebant, *Pallav. l. 9.*
 prohibendum esse, ne quis plura, *cap. 10.*
 quam tria beneficia simul possideret: a
 nonnullis vero sequens adhuc adjecta
 est clausula: *Si duo ex his annuum valo-
 rem trecentorum Philippicorum non attin-
 gerent: Præterea hi ipsi existimabant,*
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. R quod

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

quod omnes, cujuscunque gradus forent, huic legi subjicerentur, ne plura tenerent beneficia, quam unum præfati valoris, aut duo, si eorum unum ad dictæ summæ proventus non ascenderet, ita, ut nunquam plura, quam tria obtinere possent, etiamsi tantos redditus annue non ferrent. Ad hæc Aloysius Lipomanus Veronensis Episcopus petiit, *Decretum hoc etiam extendendum ad eos, qui in præsens majori beneficia numero obtinerent, hosque omnes, nulla dignitatis aut eminentiæ habita ratione, cogendos, tribus solum retentis cetera ejurare, idque intra sex menses, si degant in Italia, intra novem, si extra Italiam, & nisi pareant, absque alia ulla declaratione beneficiis privandos: neque respiciendum, utrum unionis, aut commendæ jure, aut quocunque alio titulo possideantur.*

Hanc sententiam temperabat Feltiens Episcopus, adhibita dispensationum, commendarum, & unionum distinctione; nam cum aliæ fiant Ecclesiæ bono, aliæ in favorem beneficiati, illas validas esse cupiebat, ut in Ecclesiæ emolumentum, quantumvis multa beneficia tenerentur: has vero privata possidentium commoda spectantes, certis legibus & limitibus constringendas censebat. Verum distinctionem istam non admisit Episcopus Lancianensis, inquiens: *Non esse consentaneum rationi,*

tioni, ut is, qui legem sancit longo tempo- Sæcul. XVI.
 re duraturam, exceptiones in ipso corpore A.C. 1547.
 legis admittat: cum ita comparati essent ho-
 mines ad malitiam, ut fucatos obtentus fa-
 cile reperiant, propter quos exceptione sese
 comprehendi velint, a regula immunes. Epi-
 scopus etiam Albinganensis multis ver-
 bis ostendit, quod bonæ leges futuris a-
 ctionibus tantum formam præscriberent,
 sed præterita non respicerent, illique, qui
 extra terminos rationis egressi, antea
 etiam emendare sategerint, tragedias sem-
 per excitaverint, & loco reformationis ma-
 jorem deformitatem invexerint, imo, in-
 quiebat hic Præsul, magno conatu mag-
 nas nugas agunt, qui credunt, hominibus,
 quibus de suo demitur, quod multos annos
 possederant, persuaderi posse, ut ea sorte
 sint contenti, quin etiam prævideo, si ejus-
 modi Decretum fiat, aut non receptum iri,
 aut certe, si recipiatur, resignationes pallia-
 tas, & simoniacas inde nascituras, & to-
 ta plaustra malorum, quæ deteriora multo
 sunt, quam si plura beneficia retineantur.
 Ceterum cura ea de prospiciendo in futurum
 videtur mihi supervacanea; cum enim nemi-
 ni liceat pluribus beneficiis frui, nisi impe-
 trata a Pontifice dispensatione, rem factam
 habemus, si ille cum animo suo statuatur, di-
 spensationem nullam concedere.

Verum oppositam sententiam tue- P. II. ib. n. 9.
 batur Bernardus Diazus Calaguritanus

Sæcul XVI. Antistes, ita effatus: *Ecclesia Vicentina, A.C. 1547. quæ maxima rerum confusione laborabat, sicuti omnibus erat notissimum, requireret Apostolam pro Episcopo.* His verbis Cardinalem Ridolfi redarguebat, qui præter plura alia beneficia etiam hunc Episcopatum possidebat, quamvis nec ipse in Episcopum initiatus esset, neque, ut agebat Bernardus, *De Episcopatu eo administrando curam animo concepisset: quem uti nunquam oculis suis usurpaverat, ita nihil ejus, aut curabat, aut scire volebat, nisi ut censum annuum a conductore exigeret.*

Tandem Legatorum primus opportune Patres admonebat, ut corruptelas generatim incusarent, neminem vero nominatim perstringerent, ne boni publici studium in contumeliam degeneraret: nec tamen omifere legati id ad Pontificem scribere, eique simul insinuare, admonendum esse Ridulfum, ut pravi exempli offensionem removeret. Præterea Montanus simul Pontifici significavit, quod Præsulum animos ita propensos fuerit expertus, ut ab iis facili negotio impetrari posset, quatenus articulum de residentia ipsi Pontifici decidendum relinquere vellent. Hic nuntius Paulo III. pergratus accidit; anxius enim hærebat, quorsum tandem evasura essent Præsulum consilia, ac
moli-

molimina: ceterum, interea dum Patres ^{Sæcul XVI.} Pontificis responsum præstolantur, De- ^{A C. 1547.} creti normam conficiunt, statuentes, ne cuiquam liceat nisi unicum Episcopatum tenere, qui vero plures habet, reliquis abdicatis unum solummodo retineat; Et in posterum, quicumque plura beneficia minora incompatibilia obtinebit, is iisdem ipso factio privetur absque alia declaratione; qui autem plura jam possidet, dispensationem suam Ordinario exhibeat, cujus est procedere juxta Innocentii IV. Pontificis Decretum.

§. VII.

Plurium oppositio contra dispensationes.

Postquam Patrum suffragia colligebantur, plures hoc addi instabant, ut nullæ imposterum dispensationes concederentur: id vero paucis placuit, qui ^{Sarpil. 3.} potius censebant, legis gratias jam concessas esse exhibendas, nec juxta Innocentii IV. Decretum fore procedendum: *Hac enim via, inquebant ipsi, cunctæ dispensationes facile approbari possent, malumque inveteratum evaderet robustius, si conditiones ab Innocentio positæ respiciantur: ille enim admitti jubet dispensationes, si bonæ reperiantur: sin quid dubitii insit, ut Romam res referatur, cum interim certum sit, nullum negotium dubii*

Sæcul. XVI
A.C. 1547. *quidpiam habiturum, sed ejus dubii Romæ declarationem ejusmodi futuram, quæ respondeat concessioni. Porro hasce dispensationes omnino abolendas censebant alii, quibus tamen nonnulli refragabantur, contendentes, nonnisi earum abusus esse tollendos. His addidit Episcopus Senogalliensis: Poterit Synodus incommodis omnibus occurrere hac facta declaratione, vi cujus ad dispensationem consequendam necessaria est causa legitima, quæ, nisi afferatur, & peccabit is, qui dispensat, neque poterit absolvi nisi dispensatione revocata, & qui eam obtinebit, nihilo magis per eam conscientie securitate & quiete fruetur, sed in peccato permanebit, quoad beneficia sic impetrata abdicarit.*

Non deerant, qui ad hæc responderent: *Equidem is, qui facultatem concedit plurium beneficiorum absque causa legitima, graviter peccat: sed dispensatio interea est valida, & qui eam adeptus est, ut cunque causam illegitimam esse apud animum suum agnoscit, in foro conscientie satis est securus.* In hujusmodi altercationibus dies aliquot consumpti, his querentibus, omnem Papæ auctoritatem labefactari, aliis rursus affirmantibus, quod iniquum esset, eousque Pontificiam auctoritatem extendere, ut id, quod malum est ex sua natura, per eam honestetur. inde alia orta est dubitatio: *Utrum*
plura-

pluralitas beneficiorum interdicta sit lege di- Sæcul. XVI.
vina, an humana? Quoad hoc dubium, A.C. 1547.
 illi, qui residentiam de jure divino in-
 stitutam prius asserebant, etiam a lege
 divina stabant, ideoque Papæ faculta-
 tem dispensandi abnegabant: alii contra
 eorum pluralitatem jure tantum Canoni-
 co vetitam contendebant. Neque levis o-
 peræ res erat pro Legatis, contentionis
 flammam istam sopire, cui suppositi cineres
 periculosi; eo quod tam residentia denuo
 in apertum protruderetur, quam etiam
 auctoritas Pontificis, licet nomini ejus
 parcerent, manifeste perstringeretur,
 sed maximum quoque periculum orie-
 batur ex eo, quod aucta illa de vi, ac
 valore dispensationum disceptatio rem
 omnem ad compromissum deduceret.
 In summa ergo hac rerum perturbatione Di-
 dacus Alanus Astorgensis Episcopus ita
 sententiam suam edixit, cum *super di-*
spensationibus Patres non convenient, com-
mendæ saltem & beneficiorum uniones ve-
tandæ sunt; earum enim prætextu dispen-
sationum abusus obvelatur; cum tamen
Uniones & commendæ ad vitam sint res ab-
surdissimæ, atque per eas aperta confessio
eliciatur, Ecclesiæ bonum non spectari, sed
beneficiatorum: maximo etiam omnibus sunt
offendiculo, quæ non ita pridem ad pauco-
rum avaritiam, & ambitionem explendam
orbem invaserunt: indignumque est nomine

Sæc. XVI. *Christiano tam pernicioso tamque notorio*
A.C. 1547. *abusui patrocinari.* Verum Episcopi Itali,
 quorum nonnulli emolumentum aliquod
 ex his captabant, orationem adeo libe-
 ram ingratis auribus hauriebant, illud
 quidem laudantes, ut provisio ac mo-
 deratio aliqua adhiberetur, sed ut om-
 nino tollantur, haud assentientes.

§. VIII.

*Reformationis negotium per Pontificis
 diploma Romam devolutum.*

Cum hæc interea gererentur, Legati
 mense Februario responsum Ponti-
 ficis obtinuerunt, unacum diplomate
 de hac causa Romam devolvenda. Hæ
 literæ Legatis nimis amplæ videbantur,
 nec eas statim promulgandas, sed po-
 tius Patrum animos esse explorandos
 censebant: quapropter per amicos suos
 Episcopis significabant, propter rerum
 difficultatem, ac opinionum dissensio-
 nem consultius fore, si totum reforma-
 tionis negotium ad summum Pontifi-
 cem rejiceretur. Verum Præsules, qui
 Cæsari addicti erant, sese acriter huic
 consilio opponerent, hac ratione Syno-
 di honorem lædi asserentes. Eorum
 sententiæ aquievere ceteri ferme om-
 nes: unde Legati id tempus alienissi-
 mum esse ad Pontificium diploma pro-
 ferent-

ferendum conspicati, Romam hunc in Sæcul. XVI.
 modum rescribebant: Nulla subest spes, si A. C. 1547.
 totum reformationis negotium ad Papæ cen-
 suram revocetur, hinc dividenda potius est
 materia, eaque pars Pontifici relinquenda,
 quæ magis proprie ipsum attingit, qualis est
 dispensationum & privilegiorum moderatio.
 Præterea ei adjungi potest Cardinalium e-
 mendatio, tum bene sperare licet, magnum
 fieri posse operæ pretium, quod si ita Pon-
 tificex apud animum suum instituerit, tunc
 Synodus præveniri, & diploma sub hoc ti-
 tulo de Reformatione curiæ Romanæ evul-
 gari poterit; nemo enim Papæ denegabit
 facultatem aulæ suæ reformandæ, & eorum,
 quæ proprie ipsum tangunt: verum ut illud
 diploma in Concilio publicetur, nulla petit
 necessitas: Synodo enim abunde potest satis-
 fieri, si ei permittatur discussio reliquorum
 capitum reformationis, quæ ad curiam mi-
 nime pertinent: illud autem Pontifici dili-
 genter advertendum est, quod Synodus,
 et si in futurum modo prospiciatur, ea
 provisione non acquietura, sed ut concessio-
 nibus scandalosis, quæ in præsentiarum Ec-
 clesiam male habent, consulatur, indefinen-
 ter flagitatura sit.

R 5

§. IX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. IX.

*Libellus ab Episcopis Hispanis
porreductus.*

Ea Congregatione vix non soluta viginti Hispani Præsules, alique eis adhærentes, ductore Cardinale Paceco, hæc statuerunt: *Si ea ratio, quæ in Congregationibus hætenus habitis obtinuit, porro valeat, nunquam quidquam, quod magnopere Ecclesiæ intersit, poterit determinari, nam si quid bene ac utiliter a quoquam dicitur, id ab iis, qui actionum Synodi moderandarum partes sibi vendicant, dissimulatur, aut certe spissa contentionum nube obscuratur. Est itaque necessarium, rationem eam immutare, & postulata omnia scriptis mandare, ut aliquid tandem concludatur.*

Itaque censuram hanc suam porrigunt undecim hisce articulis comprehensam. *I. Inter qualitates Episcoporum & Parochorum conditiones eæ omnes sunt ponendæ, quæ ultimo Concilio Lateranensi sancitæ; propterea quod in ratione, quæ hucusque obtinuit, nimis lata via dispensationibus sternatur, eas nostris temporibus expedit omnino tolli, & strictissimam reformationem institui, propter hæreses, quibus dant causam, & scandala, quibus infirmos offendunt.*

II.

II. Cardinalibus palam significandum, *Sæcul. XVI.*
 quod teneantur ad residendum in Episcopatu *A C. 1547.*
 tibus suis quotannis sex ad minimum menses,
 sicuti aliis Episcopis supra est injunctum.

III. Ante omnia declarandum, Præsulum Residentiam esse de jure divino.

IV. Declarandum item, quod pluralitas Cathedralium Ecclesiarum sit maximus abusus, monendique singuli ac nominatim Cardinales, ut una sola sint contenti, atque alias intra breve tempus relinquunt, certe ante exitum Concilii.

V. Tollenda quoque minorum Ecclesiarum pluralitas, ea non in posterum modo, sed in præteritum etiam prohibita, revocatisque omnibus dispensationibus antea concessis, Cardinalibus aliisque minime exceptis, nisi justas ac legitimas afferant causas, quas coram Ordinario curent approbandas.

VI. Uniones beneficiorum ad vitam etiam jam factæ, omnes revocandæ, quippe pluralitatem introducentes.

VII. Singuli, qui beneficium habent cum cura, aut alia beneficia residentiam requirentia, nisi resideant, pœnam privationis incurrunt, neque ulla dispensatione juvantur, nisi in casibus a lege permissis.

VIII. Quivis habens beneficium cum cura ab Episcopo examinandus, Et si illiteratus, improbus, aut ob aliam causam parum idoneus reperiat, beneficio privandus, idque in alium conferendum, qui rigido
 examine

Sæc. XVI. *examine se eo dignum præstat, non autem*
A.C. 1547 *ad Ordinarii voluntatem.*

IX. Beneficia curata deinceps non conferenda, nisi examine, & inquisitione præeunte.

X. Nemo ad Ecclesiam Cathedralē promovendus, nisi inspectione prius in ipso loco facta, saltem circa natales, vitam, & mores.

XI. Nullus Episcopus in aliena diœcesi potest ordinare sine venia Ordinarii, neque alios, quam qui ex eadem sunt Diœcesi.

§. X.

Hoc scriptum ad Pontificem per Legatos delatum.

Hi articuli Legatis exhibebantur, qui exinde graviter commovebantur, non modo ex eo, quod hæc capita ad Pontificis auctoritatem restringendam, necnon ad jurisdictionem Episcoporum ampliandam spectare crederent, sed potissimum ideo magis exacerbabantur, quod novi exempli res esset, postulata sua scripto exhibere, & tam multos pro exigenda quadam re in unum congregare. Nihilominus quid consilii essent capturi, dissimulabant, rei que propositæ gravitatem caussati opportunum deliberandi spatium quærebant, interim vero alia reformationis capita a Patri-
 bus

bus examinanda proponerant, mox ^{Sæcul. XVI.} autem datis ad Papam literis hujus ^{A. C. 1547.} scripti exemplar ad eundem transmiserunt, hæc exponentes: *Præsules indies magis effusam sibi licentiam arrogant, nec temperant a verbis de augustissimo Cardinalium Senatu parum honorificis, quos aperte didicant, in ordinem necessario esse cogendos: imo de Beatitudine sua minus, quam decet, loquuntur reverenter, quasi verba tantum dare studeat, & Synodum ad homines inani spe lætandos, non autem ad abusus serio reformandos, celebret, neque facile in officio postmodum contineri possunt, qui tam frequentes inter se cætus habent, & Congregationes: quam ob rem nihil nobis videtur conducibilius, quam seriam Romæ reformationem instituere, quæ etiam ante proximam Sessionem evulgetur. Eo quoque transmisimus Præsulum Hispanorum censuras, suæ Sanctitati cogitandum relinquentes, quo illorum cæpta tenderent, & quorsum possent evadere, cum verisimile non fiat, tantam rem ausuros, nisi magno aliquo Principe opitulante, ac focillante, & forte etiam instigante. Quid ab iis factum velit, ut imperet, orant; simul quid sui esset de ea re consilii exponunt. Ipsi nimirum statuunt, in sententia esse permanendum, neque parte aliqua cedendum, tum propter rei, de qua agitur, gravitatem, tum ad aditum Præsulibus præpediendum, ne, quod ultro iis*

non

Secul. XVI non conceditur, id ipsi per vim, ac seditio-
A.C. 1547. nem extorquere posse existiment: alioqui ab
 ipsorum nutu pendendum, & ne quid pe-
 jus accidat, non injuria metuendum: nam
 quando in publico disceptationibus materia
 aliqua exagitur, ipsi decreverunt, victo-
 riam adversariis non concedere: verum si
 post disceptationes cedere abnuant, tum ad
 suffragia necessario deveniendum; quæ cum
 non appendantur, sed numerentur, non te-
 mere aleam ejus eventus subeundam: quam
 ob rem quo certi esse possimus, nos Sessione
 proxima suffragiorum numero fore superio-
 res, districte imperandum iis, qui Venetias
 profecti sunt, obtentu quadragesimæ in suis
 Ecclesiis inchoandæ, sed forte absque animo
 revertendi, ut quamprimum excusatione om-
 ni seposita redeant: ea enim Sessione cardo
 ipse reformationis vertitur, idque potissi-
 mum ea parte, quæ inter Pontificem & E-
 piscopos controvertitur. Ex ejus diei suc-
 cessu, qui turbarum & seditiois sunt sa-
 ces, aut animum sumpturi ad contentiones
 aliis etiam occasionibus fovendas, aut quie-
 tos, ac morigeros se deinceps præbituri sunt.

§. XI.

*Alicæ corruptelæ circa beneficia corri-
 gendæ.*

Expectato interea Pontificis responso
 Legati in coetibus proxime sequen-
 tibus

tibus varios abusus itidem emendandos Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 proposuerunt. Horum primus erat, circum illos, qui beneficio, & titulo accepto ordinibus sacris non initiantur, neque debito modo consecrantur, hunc abusum omnibus execrantibus, & remedia idonea expectantibus: Verum Cardinalis Pacecus ostendit, frustra laborari de remediis, nisi Commendæ & Uniones, penitus exterminentur: constare enim, aiebat, omnibus, quod Cathedralis Ecclesia possit dari in commendam etiam Diacono, & is, qui Parochialem Ecclesiam sine sacris ordinibus expetit, dummodo illam curet beneficio simplici uiuendam, quod sacros ordines non requirit, illa gaudere valeat in sequelam huius, etiamsi consecratus non sit. Reliqua reformatio tangebatur varias exemptiones, a visitationibus Episcoporum, ab eorum examinationibus, a cognitione causarum civilium, ab inspicienda gubernatione Xenodochiorum, quibus omnibus Legati sperabant se Episcoporum favorem aucupaturos amplius extensa ipsorum auctoritate. Verum sicuti solet usu venire, ut is, qui integrum aliquod jus sibi competere autumat, injuriam sibi fieri putet, si mediæ partis restitutio offeratur; ita Præfultibus, Hispanis præsertim, videbatur, quod maxima eis inferretur injuria, hinc haud ultra moderationis ac modestiæ

Sæcul. XVI. stiaë limitibus continebantur. Ast au-
A.C. 1547. cto Itolorum Antistitum numero, qui
 a legatorum partibus stabant, Hispani
 aliquando circumspectius loqui cæpere,
 eoque magis, quod censuræ a se propo-
 sitæ responsum Roma expectandum in-
 telligerent, quo propositiones suas mis-
 sas resciverant. Enimvero Pontifex ea
 re intellecta, e vestigio literis efficacis-
 simis simul, & amicissimis Nuncium
 suum Venetiis agentem interpellabat,
 ut Præsules Venetos, qui prope omnes
 in ea civitate adhuc subsisterant, qua-
 tenus Tridentum redirent, sollicitaret.
 Hic in officio sibi demandato tam fide-
 lem præstitit operam, ut omnes gloriæ
 sibi ducerent, iter illud ingredi, eoque
 obsequio Pontificis gratiam demereri.

Igitur Romæ celebrato Purpurato-
 rum Senatu Hispanorum Præsulum li-
 bellus examini subjicitur, ubi hanc ad
 rem deputati censebant, quod ratio a
 Legatis proposita Sedi Apostolicæ es-
 set perhonorifica, imo si feliciter cesse-
 rit, juxta & utilissima, ex adverso au-
 tem, si successus non arriserit, id eva-
 deret perniciosissimum. His addiderunt:
*In rebus tanti momenti non est prudentis,
 fortunæ aleam ultro experiri, esseque juxta
 periculosum omnia negare, & omnibus as-
 sentiri: itaque nisi certam sibi victoriam
 spondeant Legati, e postulatis Præsulum,*
 aut

aut partem, aut omnia, modo, quo hic Sæcul. XVI.
 infra attemperantur, concedenda erunt, pro- A.C. 1547.
 ut res ipsa dabit in arena consilium.

§. XII.

*Responsum Pontificis ad Hispanorum
 Præfulum Epistolam.*

Cum in primo articulo Hispani Præ-
 fules Concilium Lateranense in duo-
 bus capitibus restaurari peterent, Pon-
 tificex respondit primo, *Sibi videri in hoc
 Præfulibus satisfaciendum, modo de cetero
 Canones sancienti rationi sint consentanei.*

*Ad II. De Cardinalibus ad residendum
 obligandis dixit Papa: si Cardinales ii de-
 notentur, qui Romæ degunt, & Ecclesiæ
 universali adu inserviunt, postulatum est
 parum æquum; de aliis vero, ut ratio ido-
 nea ineatur, Pontifici id curæ erit.*

*Ad III. De discernendo residentiam esse
 de jure divino rescripsit: primo decretum il-
 lud forte non erit verum, si Ecclesiis parti-
 cularibus applicetur, deinde, quoad effectum
 majorem confusionem asseret, istis inter se
 ex diametro pugnantibus, ut Decretum sci-
 licet fiat, & simul ejus contrarium anni di-
 midio saltem tacite permittatur.*

*Ad IV. De declarando pluralitatis ab-
 usu, idem, quod dudum ad tertium, re-
 sponderi posse inquiebat: De Cardinalibus
 autem*

Sæcul. XVI. autem Beatitudini suæ erit curæ, sicut jam
 A C 1547. dictum est.

Ad V. De minorum Ecclesiarum pluralitate asserebat: provisio a Legatis proposita satis idonea videtur, quod si de antea actis severior aliqua prohibitio necessaria videbitur, sua Sanctitas Concilio id permittit, quæ interim monet, nimirum rigorem contrarium effectum hic posse producere, propter oppositionem, quæ haud dubie expectanda est a plurium beneficiorum possessoribus, tum illud considerandum relinqui, an non parum tutum sit, iudicium de dispensationibus absolute permittere Ordinariis, qui etiam ea potestate abuti possunt, ad auctoritatis suæ incrementum, nullo alio facti operæ pretio.

Ad VI. De Unionibus ad vitam revocandis respondit: quamvis Beatitudo sua induxerit animum huic rei commode providere, dummodo Synodo videbuntur omnino auferendæ, se non refragari ajebat; spatium tamen conveniens beneficiorum possessoribus condonandum, uti de iis disponant.

VII. Nimis rigidum videri affirmabat, quod non residentes in suis beneficiis curatis privationis pœnam incurrant, neque dispensatio ulla eos juvet, nisi in casibus a lege permissis; quippe si quid tale statuatur, ægrotalis lex observari poterit.

Ad VIII. De eo, qui beneficium habens curatum, illiteratus, aut improbus depre-

deprehenditur, ab Ordinario beneficii ejus possessione privando rescripsit: si adeo ^{Sæcul. XVI.} ^{A.C. 1547.} neri inidoneus reperitur, ut eo privari jure mereatur, hoc casu pœna ista poterit permitti; alioqui æquum non petitur, sed arbitrato Ordinarium nimium relinquitur.

Ad IX. De beneficio curatis non dandis nisi diligenti examine præeunte sic suam mentem declaravit: quandoquidem necesse est modum & qualitatem examinis illius conscientia relinquere, qui confert beneficium. hinc supervacaneum & inutile videtur, aliud in super Decretum adjungere.

Ad X. De inquisitione in partibus faciendi ita se explicavit: de his, qui ad Ecclesias Cathedrales promoventur; neque modus, neque fructus hujus diligentia perspicitur, cum non minus facile sit reperire, qui falsum testimonium dicunt in partibus, quam qui Romæ: ubi vero ea de quopiam notitia haberi potest, quæ sufficit, (ea autem passim & semper haberi potest) ex supervacaneo alia requiritur.

Ad XI. Ut nemo nisi a suo Episcopo ordinetur, taliter reposuit Pontifex: remedium diplomate propositum videtur sufficiens, eo quod magis, quod per ipsum via non una incommodis obviam eatur, quæ circa hoc caput oboriuntur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. XIII.

Legati ob hoc Pontificis responsum turbati.

Postquam hoc Pontificis responsum Legati exeunte mense Februario Tridenti receperunt, mox consultatione desuper habita Cervinus Cardinalis consultum fore censebat, ut omnium Præfulum animi mitigarentur, eisque ex postulatis nonnulla indulgerentur, præcipue ea, quæ ipsis indulgenda Roma significatum esset. Verum Montanus Cardinalis hæc opponebat: *Assentiri inferiori, præsertim multitudini non est aliud, quam ansam dare petitionibus perpetuis. Mihi quidem videtur, tentandum prius amicorum animum, quos si numero potiores compererimus, ne pedem unum retro cedemus; si res aliter cesserit, prudentia quam maxime adhibenda est.*

Habitis pluribus invicem sermonibus Cervinus cessit suo socio, cumque nuntiatum esset, Prælatos absentes ante Februarii finem Tridentum venturos, quamplurimos ex iis, qui præsentibus aderant, Pontificis consilio adhærere conspexerunt, unde his ampla gratitudinis spe erectis plures adhuc sibi conciliabant: aucto igitur Patrum numero sibi pollicebantur, quod in proxima

Con-

Congregatione cuncta ad sententiam esse. Sæcul XVI. A. C. 1547.
 sent cessura. Hac spe freti Decretum
 quindecim capitibus constans formari
 curarunt, illudque postea proposuerunt
 in proxima Congregatione generali, ubi
 præprimis juxta Pontificis iussa, ut su-
 pra meminimus, absque ullo capite Ca-
 nones circa Sacramenta prælegebantur.

§. XIV.

*Patrum dubia circa Decretum Re-
 formationis.*

Perlecto hoc Decreto majores, quam Sarpi p. 242. Pall. l. 9. c. 1. num. 2.
 antea, natæ sunt altercationes, & qui-
 dem eorum prima, ut referunt Historico-
 rum nonnulli, ortum duxit ex his
 verbis: *Salva semper in omnibus auctorita-
 te Apostolica*; his enim cuncta reforma-
 tionis promissa eludi dicebatur, eo quod
 omnia Pontificis arbitrio relicta vide-
 rentur: cum ergo Hispani, ac præci-
 pue Pacensis Episcopus hanc clausulam
 deleri peteret, ac nullum Pontifici Ca-
 nones dispensationibus enervandi jus
 competere contenderet, eidem in re-
 sponsis datum: quod *leges Conciliorum
 sint legibus naturalibus absimiles; nam in
 his rigor, & æquitas unum idemque est, il-
 læ vero generali omnium legum defectui sunt
 obnoxie, quarum universalitatem necesse est,
 in casibus non prævisis, & ubi iniquum es-*
 set

Sæc. XVI. A.C. 1547. *set eas exequi, ab æquitate regi ac constrin-*
gi: Cum autem Synodus non omni tempore
habeatur, ut ad eam possit recurri; neque
cum habeatur, ad casus singulares debeat at-
tendere, auctoritas Pontificia necessario re-
quiritur.

Cum vero his nonnulli sese oppo-
 nerent, Cardinalis Montanus silentium
 imposuit, declarans, quod ad eluden-
 dam eam, quam Sedi Apostolicæ de-
 ferre tenentur, submissionem non nisi ca-
 villationes adhiberent. Petiit porro
 idem ipse Episcopus Pacensis, ut in pro-
 emio declararetur, articulum de residen-
 tia non omissum, sed dilatum esse: ve-
 rum Legati eidem respondebant, quod
 id esset diffidere non solum ipsorum, sed
 Pontificis pollicitationibus, & nequic-
 quam ad id obligentur, quod in ipsorum
 semper potestate est positum: cum ta-
 men, prosequerentur Legati, id tam
 ardentem urgeatis, in proemio appone-
 tur, se cæptum de residentia negotium
 velle prosequi, unde appareat argu-
 mentum istud superiore confesso ad fi-
 nem non perductum, sed partem ali-
 quam ejus tractandam adhuc superesse.

Varia insuper erat Patrum senten-
 tia circa articulum de necessariis redi-
 tibus tam pro Episcopis quam Cura-
 tis; cum enim Hispani Præsules in De-
 creto de beneficiorum pluralitate nomi-
 natim

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

natim Cardinales esse nominandos urgerent, hac super re diutissime disputatum, Italis contendentibus, decentiæ legibus prohiberi, in vulgus propalare, quod nequidem abusus in iis, qui primum in Ecclesia locum tenent, desint, aut Viri præclare de Ecclesia meriti semetipsos corrigere negligant, hinc satius fore judicarunt, si id terminis generalibus fieret, atque exponeretur, quod Concilium omnibus, cuiuscunque gradus, dignitatis aut eminentiæ forent id præcipiat. Verum his opponeretur: *Juris Pontificii Doctores jam pridem declararunt, Cardinales nullis verbis generalibus comprehendi, nisi singillatim nominentur, quare non alia superest via, qua pessimo huic exemplo, quod orbem pervastat, prospiciatur, nisi illis peculiariter reformatis. Non adeo laborandum est de cleri tenuioris emendatione, cujus errata sunt levia a superiorum quoque imitatione profecta: sed uti in ægro corpore sanando, malis gravioribus, & partibus vitalibus potissimum attendendum; reliquæ aut sua sponte, aut levibus remediis curantur, illis persanatis. Abusui unionum perpetuarum dicebant videri satis diligenter provisum, cum jam factarum unionum examen ad Episcopos fuerit remissum, atque illæ, quæ parum justis, ac legitimis causis nixæ deprehenduntur, pro subreptitiis haberentur,*

S 4

quam-

Sæcul. XVI. A.C. 1547. *quamvis restrictio annexa omnia labefaciet, nempe, nisi aliter Sedi Apostolicæ videatur: siquidem his verbis & corruptela confirmatur, & Episcopus litibus ac sumptibus implicatur: denuo item postulatum, ut uniones ad vitam interdicantur, & jam factæ irritæ declarentur.*

Præterea alii, perpetuas uniones imposterum aboleri, hucusque vero factas penitus irritas declarari postulabant, & præcipue articulo de Cardinalibus insistebant: Verum Legati, cum rem decidi nollent, hæc responderunt: satius est, decretum proxime promulgandum ita instruere, prout in præcedenti factum legitur, ubi per prærogativas ibidem præscriptas satis manifeste fuit indicatum, quod etiam Cardinales ibidem comprehendantur. Ceterum aliunde considerandum venit, quod Pontifex suam sententiam circa Cardinalium Episcoporum residentiam, ac beneficiorum pluralitatem edicere rogatus, huic malo satis prospexerit, edito hanc in rem diplomate, quod die decima octava Februarii in Purpuratorum Senatu promulgatum Cardinalibus in suis Ecclesiis permanendi legem præscripsit, qua ratione summus Pontifex haud obscure significavit, quod illis legem imponere, solius Papæ esset. *Verum, inquit Pallavicinus, quia hu-*
mana-

mana consilia speciosis undique rationibus Sæcul. XVI.
abundant, ex hoc ipso Guilielmus a Prato A.C. 1547.

Episcopus Claramontanus argumentum tra-
xit ad oppositum persuadendum, potius par
ipsis esse imitari Pontificem, qui non inde-
corum Cardinalium dignitati putarat, no-
minatim illos in memorato diplomate com-
prehendere: moderatiores tamen Patres ab-
stinendum ab ea nominis expressione censuere,
satis esse rati, si generalibus dicendi formu-
lis idem consequerentur; multumque inter-
esse intelligentes, Cardinales diserte coar-
dari per legem, quæ ab ipsorum Principe
sanciretur, aut (*) quæ a cætu Præsulum
ipsis minorum præscriberetur.

Cum igitur decreta esse approbanda,
plurimum suffragia pronuntiarent, Pa-
tres unice Sessioni celebrandæ intenti
erant, Legati vero ad aliam Sessionem
rejecerunt, emendationem abusuum,

S 5

quos

(*) Cuncta hæc Continuator ex Sarpia
præclaro hoc mendaciorum Architecto descri-
psit, ac subdole pro more suo inseruit, ut re-
ferunt Scriptorum nonnulli, cum tamen præ-
ter eum nullus alius Auctor talia recitet, Pal-
lavicius quoque, qui totam Tridentini Con-
cilio Historiam ex monumentis fide dignissimis
cum summa solertia conscripsit, disertis verbis hæc
observat: *quam plurima Suavis narrat, tum
ab Aula Romana scripta, tum ab Episcopia
dicta, ex quibus nihil verum comperit*

Sæcul. XVI. quos circa Sacramentorum administra-
A.C. 1547 tionem irrepsisse diximus, eoquod hæc
 materia nondum satis esset discussa.

§. XV.

Sessio VII. Concilii Tridentini.

Lab Collect. **O**mnibus ad Sessionem septimam ita
Conc. t. 14. dispositis eadem feria quinta die
p. 773. tertia Martii Anno Salutis nostræ mil-
Pall. c. 12. lesimo quingentesimo quadragesimo se-
Rayn. in an- ptimo celebrata est, cunctisque Patri-
nal hoc anno bus in Ecclesia congregatis, ac duobus
n. 35. Legatis Præsidum partes sustinentibus
Spond. hoc Jacobus Cauchus Corcyrensis Episco-
annon. 3. pus solemne sacrum de Spiritu sancto
Sarp. l. 3. decantavit: nullus tamen sermo habe-
p. 244. batur, eoquod Coriolanus Martiranus
 S. Marci Episcopus, cui concionandi
 provincia erat demandata, ob vocis
 raucedinem declamare haud potuerit;
 ut testantur Synodi acta, quamvis Pau-
 lus Sarpus nequiter affirmet: „ Quod
 „ hanc raucitatem simulaverit, ne huic
 „ Sessioni assistere cogeretur; cum enim
 „ reformationem urgeret, ac residendi
 „ legem ex jure divino descendere defen-
 „ deret, ac propterea male in Congrega-
 „ tione haberetur, hinc adversam vale-
 „ tudinem obtendit, ne ad decisionem,
 „ quæ ipsi non probabatur, *Placet* respon-
 „ dere cogeretur. „ Verum hoc Pauli Sar-
 pii

pri commentum Pallavicinus fat prolixè Sæcul. XVI.
A C. 1547.
confutat, ita inquit: *Merum purum in-*
ventum, prout ac deducere licet ex Actis,
ex Diariis, & ex Monumentis, ubi hac de
re plane nihil: neque suspicari fas est, id ibi
consulto prætermissum, cum e contrario le-
gantur ibidem plurima inter Patres diffidia,
plurimæque a legatis in ipsos habitæ objur-
gationes, & a me non amissæ; qui nolui ve-
ra dissimulare, quamvis mihi molesta, & a
Suavi non adducta, qui vera divinare nequit,
quamvis sibi perjucunda.

Ceterum sacro absoluto, precibusque
ac ritibus de more adhibitis hymnus de
Spiritu sancto decantabatur, quo finito
triginta Canones circa Sacramenta, nec-
non reformationis decretum quinque ca-
pitibus mox referendis comprehensum
prælegebatur.

§. XVI.

Proemium ad Canones de Sacramentis.

Priusquam recitabantur Canones, præ- Labbe t. 14.
p. 776.
missum erat proemium, seu præfa-
tio quædam his verbis concepta: *Ad*
consummationem salutaris de justificatione
doctrinæ, quæ in præcedenti proxima Ses-
sione uno omnium Patrum consensu promul-
gata fuit, consentaneum visum est, de san-
ctissimis Ecclesiæ Sacramentis agere, per
quæ omnis vera justitia vel incipit, vel cæ-
pta

Sæcul. XVI. *pta augetur, vel amissa reparatur.* Pro-
A.C.1547. *pterea Sacrosancta œcumenica & generalis*
Tridentina Synodus in Spiritu sancto legi-
ttime congregata, præsentibus in ea eisdem
Apostolicæ Sedis Legatis, ad errores eli-
minandos, & extirpandas hæreses, quæ
circa sanctissima ipsa Sacramenta hac nostra
tempestate, tum de damnatis olim a Patri-
bis nostris hæresibus suscitatae, tum etiam
de novo adinventæ sunt, quæ Catholicæ Ec-
clesiæ puritati, & animarum Saluti mag-
nopere officunt, sanctarum Scripturarum
doctrinæ, Apostolicis traditionibus, atque
aliorum Conciliorum & Patrum consensui
inhærendo, hos præsentis Canones statuen-
dos ac decernendos censuit, reliquos, qui
supersunt ad cæpti operis perfectionem, de-
inceps, divino spiritu coadjuvante, editura.

§. XVII.

Canones de Sacramentis in genere.

I. *Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis*
non fuisse omnia a Jesu Christo Do-
mino nostro instituta, aut esse plura, vel
pauciora, quam septem: videlicet Baptis-
mus, Confirmationem, Eucharistiam, Pœ-
nitentiam, extremam Undtionem, Ordinem,
& Matrimonium, aut etiam aliquod horum
septem non esse vere, & proprie Sacramen-
tum; anathema sit.

II.

II. Si quis dixerit, ea ipsa novæ legis ^{Sæcul. XVI.} Sacramenta a Sacramentis antiquæ legis ^{A.C. 1547.} non differre, nisi quia ceremoniæ sunt aliæ, & alii ritus externi; anathema sit.

III. Si quis dixerit, hæc septem Sacramenta ita esse inter se paria, ut nulla ratione aliud sit aliud dignius; anathema sit.

IV. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non esse ad salutem necessaria, sed superflua, & sine eis, aut eorum voto, per solam fidem homines a Deo gratiam justificationis adipisci, licet omnia singulis necessaria non sint; anathema sit.

V. Si quis dixerit, hæc Sacramenta propter solam fidem nutriendam instituta fuisse; anathema sit.

VI. Si quis dixerit, Sacramenta novæ legis non continere gratiam, quam significant, aut gratiam ipsam non ponentibus obicem non conferre, quasi signa tantum externa sint acceptæ per fidem gratiæ, vel justitiæ, & notæ quædam Christianæ professionis, quibus apud homines discernuntur fideles ab infidelibus; anathema sit.

VII. Si quis dixerit, non dari gratiam per hujusmodi Sacramenta semper, & omnibus, quantum est ex parte Dei, etiamsi rite ea suscipiant, sed aliquando & aliquibus; anathema sit.

VIII. Si quis dixerit, per ipsa novæ legis Sacramenta ex opere operato non conferri gratiam, sed solam fidem divinæ promissio-

missio-

Sæcul. XVI. missionis ad gratiam consequendam sufficere;
A.C 1547. anathema sit.

IX. Si quis dixerit, in tribus Sacramentis, Baptismo scilicet, Confirmatione & Ordine, non imprimi Characterem in anima, hoc est signum quoddam spirituale, & indelebile, unde ea iterari non possunt; anathema sit.

X. Si quis dixerit, Christianos omnes in verbo, & omnibus Sacramentis habere potestatem; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, in ministris, dum Sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modo omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aut conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aut conferre Sacramentum; anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, receptos, & approbatos Ecclesiæ ritus in solemnibus Sacramentorum administratione adhiberi consuetos, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcunque Ecclesiarum pastorem mutari posse; anathema sit.

§. XVIII.

§. XVIII.

Alii Canones de Baptismo.

I. Si quis dixerit, *Baptismum Joannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi; anathema sit.*

II. Si quis dixerit, *aquam veram, & naturalem non esse de necessitate Baptismi, atque ideo verba illa Domini nostri Jesu Christi, nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, ad metaphoram aliquam detorserit; anathema sit.*

III. Si quis dixerit, *in Ecclesia Romana, quæ omnium Ecclesiarum mater est, & Magistra, non esse veram de Baptismi Sacramento doctrinam; anathema sit.*

IV. Si quis dixerit, *Baptismum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum Baptismum; anathema sit.*

V. Si quis dixerit, *Baptismum liberum esse, hoc est, non necessarium ad salutem; anathema sit.*

VI. Si quis dixerit, *Baptizatum non posse, etiamsi velit, gratiam amittere, quantumcunque peccet, nisi nolit credere; anathema sit.*

VII. Si quis dixerit, *baptizatos per Baptismum ipsum solius tantum fidei debitores*

Sæcul. XVI. A.C. 1547. *tores fieri, non autem universæ legis Christi servandæ; anathema sit.*

VIII. Si quis dixerit, baptizatos liberos esse ab omnibus sanctæ Ecclesiæ præceptis, quæ vel scripta, vel tradita sunt, ita ut ea observare non teneantur, nisi se sua sponte illis submittere voluerint; anathema sit.

IX. Si quis dixerit, ita revocandos esse homines ad Baptismi suscepti memoriam, ut vota omnia, quæ post Baptismum sunt, vi promissionis in Baptismo ipso jam factæ, irrita esse intelligant; quasi per ea, & fidei, quam professi sunt, detrahebatur, & ipsi Baptismo; anathema sit.

X. Si quis dixerit, peccata omnia, quæ post Baptismum sunt, sola recordatione, & fide suscepti Baptismi vel dimittit, vel venialia fieri; anathema sit.

XI. Si quis dixerit, verum, & rite collatum Baptismum iterandum esse illi, qui apud infideles fidem Christi negaverit, cum ad pœnitentiam convertitur; anathema sit.

XII. Si quis dixerit, neminem esse baptizandum, nisi ea ætate, qua Christus baptizatus est, vel in ipso mortis articulo: anathema sit.

XIII. Si quis dixerit, parvulos, eo quod actum credendi non habent, suscepto Baptismo inter fideles computandos non esse, ac propterea cum ad annos discretionis pervenerint

venerint, esse rebaptizandos; aut præstare
omitti eorum Baptisma, quam eos non actu
proprio credentes baptizari in sola fide Ec-
clesiæ; anathema sit.

Sæcul XVI.
A.C. 1547.

XIV. Si quis dixerit, hujusmodi par-
vulos baptizatos, cum adoleverint, interro-
gandos esse, an ratum habere velint, quod
patrini eorum nomine, dum baptizarentur,
pollitici sunt, Et ubi se nolle responderint,
suo esse arbitrio relinquendos, nec alia inte-
rim pœna ad Christianam vitam cogendos,
nisi ut ab Eucharisticæ, aliorumque Sacra-
mentorum perceptione arceantur, donec re-
spiscant; anathema sit.

§. XIX.

Canones de Confirmatione.

I. Si quis dixerit, confirmationem bap-
tizatorum otiosam ceremoniam esse,
Et non potius verum, Et proprium Sacra-
mentum, aut olim nihil aliud fuisse, quam
Catechesim quamdam, qua adolescentiæ pro-
ximi fidei suæ rationem coram Ecclesia ex-
ponebant, anathema sit.

II. Si quis dixerit, injurios esse
Spiritu sancto eos, qui sacro Confir-
mationis Chrismati virtutem aliquam tribuunt,
anathema sit.

III. Si quis dixerit, sanctæ Confir-
mationis Ordinarium Ministrum non esse solum
Epi-
Epi-

Sæcul. XVI. *Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit.*
A.C. 1547.

§. XX.

Decretum de Reformatione.

Labbe Conc. **R**ecitatis hisce Canonibus prælectum
p. 479. fuit Decretum de Reformatione,
Pall. l. 9. c. 11. idque comprehensum quinque capitibus,
 quibus præfixa erat sequens præfatio:
*Eadem sacra Synodus eisdem præfidentibus
 & legatis, inceptum residentie & reformationis negotium ad Dei laudem & Christiane Religionis incrementum prosequi intendens, ut sequitur, statuendum censuit, salva semper in omnibus Sedis Apostolicæ auctoritate.*

CAPUT I.

De Electione Episcoporum.

Ad Cathedralium Ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio natus, & ætate matura, gravitate morum, literarumque scientia juxta constitutionem Alexandri tertii, quæ incipit: cum in cunctis, in Concilio Lateranensi promulgatam præditus assumatur.

Ad hoc caput observari potest, quod omni tempore plurimum commendatus fuerit Episcoporum selectus, tanquam præcipuum Disciplinæ Ecclesiasticæ punctum, sive demum penes Clerum,

ac populum fuerit Pastores suos per ^{Sæcul. XVI.} communia suffragia eligendi jus, five ^{A.C. 1547.} solus Clerus absque populo, aut Principes profani eorum electionem fieri mandaverint, aut per privilegia eis a Papa concessa ad Episcopatus nominaverint. Præterea quorundam opinio adstruit, quod primum ineunte sæculo undecimo summi Pontifices in natalium vitio legis gratiam facere cœperint. Porro circa ætatem in Blessensi edicto præcipitur, quod Episcopi saltem vigesimum septimum ætatis annum attingentes in quadam Universitate Doctorum honoribus, aut saltem prima Doctoratus laurea insignes sint. Idem etiam reperitur in Concordatorum articulis.

CAPUT II.

Beneficiorum pluralitas interdicta.

Nemo quacunq̄ue etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas, seu Cathedralis Ecclesias in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine, contra sacrorum Canonum instituta, recipere, & simul retinere præsumat: cum valde felix sit ille censendus, cui unam Ecclesiam bene, ac fructuose, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit, qui autem plures Ecclesias contra præsentis decreti tenorem nunc detinent,

T 2

una,

Sæcul. XVI. una, quam maluerint, retenta, reliquas in-
A.C. 1547. fra sex menses, si ad liberam Sedis Apo-
 stolicæ dispositionem pertineant, alias infra
 annum dimittere teneantur: alioquin Eccle-
 siæ ipsæ, ultimo obtenta duntaxat excepta,
 eo ipso vacare censeantur.

CAPUT III.

De Beneficiatorum selectu.

*Inferiora Beneficia Ecclesiastica, præsertim
 curam animarum habentia, personis dig-
 nis & habilibus, & quæ in loco residere,
 ac per se ipsos curam ipsam exercere valeant,
 juxta constitutionem Alexandri tertii in La-
 teranensi, quæ incipit, quia nonnulli:
 & aliam Gregorii decimi, in generali Lug-
 dunensi Concilio, quæ incipit, licet Canon,
 editam conferantur: aliter autem facta col-
 latio, sive provisio omnino irritetur, & or-
 dinarius collator pœnas constitutionis Con-
 ciliî generalis, quæ incipit: grave nimis,
 se noverit incursum.*

In capite duodecimo Sessionis vige-
 simæ quartæ sequens decretum legimus:
*Nemo deinceps ad dignitates quascunque,
 quibus animarum cura subest, promoveatur,
 nisi qui saltem vigesimum quintum suæ æta-
 tis annum attigerit, & in clericali ordine
 versatus, doctrina ad suum munus exequen-
 dum necessaria ac morum integritate com-
 mendetur. Provisi etiam de beneficiis qui-
 buscun-*

buscunque curam animarum habentibus, te- Sæc. XVI.
A.C. 1547.
neantur a die adeptæ possessionis ad minus
intra duos menses in manibus ipsius Episco-
pi, vel, eo impedito, coram generali ejus
Vicario, seu Officiali orthodoxæ suæ fidei
publicam facere professionem, Et in Roma-
næ Ecclesiæ obedientia se permansuros spon-
deant ac jurent.

Denique in capite decimo octavo præscribitur modus, quo ad Parochorum electionem, atque examen procedendum est, ac præter alia in Declarationibus Cardinalium habetur, quod ad dignitatem in Ecclesia Cathedrali vel Collegiata obtinendam requiratur annorum viginti, & unius completi ætas: In decima autem septima Cancellariæ Regula, quæ in Galliis est recepta, irritæ declarantur omnes Concessiones, seu Canonicatum, ac Præbendarum provisiones, quæ absque speciali dispensatione in Ecclesiis Cathedralibus ante emensum decimum quartum, vel in Ecclesiis Collegiatis ante decimum ætatis annum conferuntur. Præterea decima septima ejusdem Innocentii III. Pontificis Regula statuitur, quod nullus Parochiam obtinere valeat, nisi illius loci idioma calleat. Exstat quoque quædam Henrici II. declaratio die nona Martii anno Domini millesimo quingentesimo quinquagesimo quinto edita, vi

T 3 cujus

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

cujus urbium muris cinctarum Parochi quodam Doctoratus honore insignes esse jubentur: Constitutio vero, quæ in hoc capite allegata incipit: *Quia nonnulli solum illis, qui in suis Parochiis residere, ac officii sui munia per semetipsos exercere possunt, Ecclesias committere præcipit, atque illud decretum, quod incipit: Grave nimis: statuit, ut prætermisissis indignis idoneos assumant, qui Deo & Ecclesiis velint, & valeant gratum impendere famulatum, fiatque de hoc in provinciali concilio diligens inquisitio annuatim, ita, ut qui post primam, & secundam correctionem fuerit repertus culpabilis, a beneficiis conferendis per ipsum Concilium suspendatur, instituta in eodem Concilio persona provida & honesta, quæ suspensi suppleat defectum in beneficiis conferendis.*

CAPUT IV.

De plurium Beneficiorum detentoribus.

Quicumque de cetero plura curata, aut alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine & titulo contra formam sacrorum Canonum, & præsertim constitutionis Innocentii tertii, quæ incipit, de multa, recipere ac simul retinere præsumpserit, beneficiis

ficiis ipsis juxta ipsius constitutionis dispo- Sæcul. XVI.
sitionem. ipso jure, etiam præsentis Cano- A. C. 1547.
nis vigore, privatus existat.

Hoc capitulum emendat abusum eo tempore plurimum invalescentem; nam tunc temporis Canonorum potissimi Parochiales possidebant Ecclesias, quibus per alios præerant; alii vero duo, quibus annexa erat animarum cura, obtinebant beneficia: Porro id valde mirum est, quod prima hujus capituli pars, ne de cetero ejusmodi abusus fiat, provideat, nec plurium beneficiorum, quæ curata, appellantur, possessores ad ea dimittenda, unumque eorum duntaxat, retinendum adstringat. Magis adhuc admiratu dignum est, quod Clerus Gallicanus non modo omnes hujus capituli partes juxta piam Synodi mentem non acceptaverit, sed insuper etiam anno Christi millesimo sexcentesimo decimo declarationem quamdam ab Henrico IV. Rege, & aliam itidem Anno Salutis millesimo sexcentesimo vigesimo a Ludovico XIII. obtinuerit, vi cujus Ecclesias Parochiales, & præbendas saltem illi, qui eas jam tum possidebant, retinere permetterentur. Ceterum ejusmodi privilegia a pluribus Ecclesiarum Cathedralium capitulis tempore schismatis, vel a summis Pontificibus Avenionæ agentibus fuere extorta; verum Ju-

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

risprudencia postmodum ejusmodi edita, quibus hæc privilegia cuidam Decretali perperam intellectæ innixa firmabantur, correxit, sæpiusque decretum fuit, quod insuperhabita veteri consuetudine Canonicus Parochiale Beneficium possidens seligeret, quodnam ex duobus beneficiis retinere velit, secus neutrum obtinere valeret. Porro ceteris magis celebre est edictum, quod Andegavi contra Martinaldum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo sexcentesimo quinquagesimo quarto fuit editum circa præbendas, atque Ecclesias Parochiales, quas simul possidere non licet.

CAPUT V.

De pœnis contra plura Beneficia possidentes.

Ordinarii locorum quoscunque plura curata, aut alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhibere districte compellant, & alias procedant juxta constitutionem Gregorii decimi in generali Lugdunensi Concilio editam, quæ incipit, Ordinarii: quam eadem sancta Synodus innovandam censet, & innovat, addens insuper, quod ipsi Ordinarii etiam per idoneorum vicariorum deputationem, & congruæ portionis fructuum assignationem, omnino

omnino provideant, ut animarum cura nul-
 latenus negligatur, & beneficia ipsa debitis
 obsequiis minime defraudentur: appellatio-
 nibus, privilegiis, & exemptionibus qui-
 buscunque, etiam cum iudicum specialium
 deputatione, & illorum inhibitionibus, in
 præmissis nemini suffragantibus.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1547.

Hæc Constitutio in hoc capite alle-
 gata, quæ incipit Ordinarii, ita statuit:
 Ordinarii locorum subditos suos, plures
 dignitates vel Ecclesias, quibus animarum
 cura imminet, obtinentes, seu personatum
 aut dignitatem cum alio Beneficio, cui cura
 similis est adnexa, districte compellant, di-
 spensationes, auctoritate quarum hujusmo-
 di Ecclesias, personatus seu dignitates cano-
 nice tenere se asserunt, infra tempus pro sa-
 celi qualitate ipsorum Ordinariorum mode-
 randum arbitrio, exhibere: quod si forte,
 iusto impedimento cessante, nullam dispen-
 sationem infra idem tempus contigerit exhiberi,
 Ecclesiæ Beneficia, personatus, seu dignita-
 tes, quæ sine dispensatione aliqua, eo ipso
 illicite detineri constabit, per eos, ad quos
 eorundem collatio pertinet, libere personis
 idoneis conferantur. Ceterum, si dispen-
 satio exhibita sufficiens evidenter appareat,
 exhibens nequaquam in beneficiis hujusmo-
 di, quæ canonice obtinet, molestetur: pro-
 videat tamen Ordinarius, qualiter nec ani-
 marum cura in eisdem Ecclesiis, personati-
 bus,

Sæcul XVI. bus, seu dignitatibus negligatur, nec beneficia ipsa debitis obsequiis defraudentur: si vero de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur, super hoc erit ad Sedem Apostolicam recurrendum, cujus est æstimare, quem modum sui beneficii esse velit.

CAPUT VI.

De Unionibus Beneficiorum.

Uniones perpetuæ a quadraginta annis citra factæ, examinari ab Ordinariis, tanquam a Sede Apostolica delegatis, possint, & quæ per subreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur: illæ vero, quæ a dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in parte sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis, coram loci ordinario, vocatis, quorum interest, verificandis, factas fuisse consiterit, per subreptionem obtentæ præsumantur, ac propterea, nisi aliter a Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant.

CAPUT VII.

De Vicariis perpetuis.

Beneficia Ecclesiastica curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis,

giis, aut piis locis quibuscunque perpetuo Sæcul. XVI.
 unita, & annexa reperiuntur, ab Ordina- A.C. 1547.
 riis locorum annis singulis visitentur, qui
 sollicitè providere procurent, ut per ido-
 neos Vicarios etiam perpetuos (nisi ipsis
 Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimine
 aliter expedire videbitur) ab eis cum tertiæ
 partis fructuum, aut maiori, vel minori,
 arbitrio ipsorum Ordinariorum, portione,
 etiam super certa re assignanda, ibidem de-
 putandos, animarum cura laudabiliter ex-
 erceatur, appellationibus, privilegiis, ex-
 emptionibus, etiam cum iudicum deputatione,
 & illorum inhibitionibus quibuscunque, in
 præmissis minime suffragantibus.

Sacra Cardinalium Congregatio
 Monasteria, quibus a primæva erectio-
 ne sua animarum cura erat annexa, ex-
 cipit, ac circa ea caput undecimum
 Sessionis vigesimæ quintæ servandum
 statuit, ubi eadem Tridentina Synodus
 regularibus, ut ibidem Parochialia mu-
 nera exercent, permittit, Episcopo
 autem duntaxat ibidem visitationis,
 ac correctionis officium concedit. Ve-
 rum hæc distinctio in Galliis non ob-
 servatur, sed passim viget Constitutio
 Concilii Claromantani anno Christi mil-
 lesimo nonagesimo quinto edita, necnon
 illa Lateranensis Synodi sanctio, vi cuius
 Regulares Episcopo nominare tenentur
 quemdam Presbyterum sæcularem, qui
 curam

Sæcul. XVI. curam animarum a suo antistite reci-
 A.C. 1547. piat, exceptis Canonicis Regularibus,
 eoquod eorum Congregationes tanquam
 Presbyterorum seminaria haberentur,
 unde non tanquam vicarii perpetui, sed
 veluti Parochi titulares *curata* Benefi-
 cia possident.

CAPUT VIII.

*De lustrandis, ac reparandis
Ecclesiis.*

Locorum Ordinarii Ecclesias quascunque,
 quomodolibet exemptas, auctoritate A-
 postolica singulis annis visitare teneantur,
 & opportunis juris remediis providere, ut,
 quæ reparatione indigent, reparentur, &
 cura animarum, si qua illis immineat, aliis-
 que debitis obsequiis minime defraudentur,
 appellationibus, privilegiis, consuetudinibus,
 etiam ab immemoriali tempore præscriptis,
 judicum deputationibus, & illorum inhibi-
 tionibus penitus exclusis.

Ejusmodi visitatio instituitur ad po-
 puli instructionem, abusuum correctio-
 nem, morum reformationem, ac pie-
 tatis augmentum. Nec Episcopalis hu-
 jus muneris executio retardari valet ex-
 emptione, aut rationum obtentu, imo
 nequidem appellatione ad Sedem Apo-
 stoli-

stolicam (*). Porro Capitulum visitan-
 di jus competit Episcopo, quia illud est
pars gregis, qui sese a sui Pastoris cura
 subducere nequit. Hæc Episcopi aucto-
 ritas a Christo Domino, ac jure divino
 descendit, nec tamen desunt Capitula,
 quæ ab eo exempta sunt, cum illa sum-
 mus Pontifex Ordinarii jurisdictioni sub-
 traxerit, ut eadem directe sacræ Sedi
 subjiceret. Jam lis movetur, an
 hæ exemptiones valeant, cum ejus-
 modi plures tanquam validæ jactiten-
 tur, quæ tamen tales non sunt. Hanc
 in rem attendi oportet ad exemptiones,
 ut vocant, personales, quæ vel ex ip-
 sa fundatione, vel ex transactione cum
 Episcopo proveniunt. Ceterum ad hoc,
 ut titulus possessionis, quæ hominum
 memo-

Sæcul. XVI.
 A. C. 1547.

(*) Continuator in hoc loco non jam Histori-
 cum, sed potius Theologum, aut Canonistam
 imo omnino Legislatorem agere videtur, do-
 lendum tamen, quod suæ auctoritatis diplo-
 ma proferre, aut saltem Conciliorum vel sta-
 tuta vel SS. Patrum testimonia allegare fuerit
 oblitus; certe non sufficit, quod privatus qui-
 dam Vir exclamet: *Hæc auctoritas a Christo
 Domino & jure divino descendit.* Verbo,
 omnes Continuatoris observationes in hæc
 capitula nec ad rem, nec ad institutum Histo-
 ricum pertinent, sed unice ad implendas pagi-
 nas deserviunt.

Sæc. XVI. A.C. 1547. memoriam excedit, fit legitimus, duo requiruntur. I. Hæc possessio ab Episcopo non fit per ullum actum interrupta. II. Capitulum non fit *Acephalum*, nec ulli alteri subjectum: cum enim illud sit *pars gregis*, hinc necesse est, ut Pastorem habeat, vel Visitatorem vel Episcopum, alias enim illud sibimet ipsi Episcopus esset, simulque grex, ac gregis Pastor, quod tamen fieri nequit. Porro Juris Pontificii Doctores tradunt, quod visitatio sit pars jurisdictionis, ac cuilibet, qui jurisdictione gaudet, etiam visitandi jus competat.

CAPUT IX.

De Præsulorum inauguratione.

Ad majores Ecclesias promoti munus consecrationis infra tempus a jure statutum suscipiant, & prorogationes ultra sex menses concessæ nulli suffragentur.

In hac Sessione Synodus nullam statuit pœnam in eos, qui infra tempus a jure præscriptum consecrationem non recipiunt; duntaxat enim decernit, quod prorogationes ultra sex menses concessæ nulli, cujuscunque conditionis sit, suffragentur: in Sessione tamen vigesima tertia capite secundo omnem antiquorum Canonum severitatem revocat, ac ita decernit: *Ecclesiis Cathedralibus,*
seu

seu Superioribus, quocunque nomine ac ti Sæcul. XVI.
tulo præfetti, etiamsi sanctæ Romanæ Ec- A.C. 1547.
clesiæ Cardinales sint, si munus consecratio-
nis intra tres menses non susceperint, ad
fructuum perceptorum restitutionem tenean-
tur: si intra totidem menses postea id facere
neglexerint, Ecclesiis ipso jure sint privati:
consecratio vero, si extra curiam Romanam
fiat, in Ecclesia, ad quam promoti fuerint,
aut in provincia, si commode fieri poterit,
celebretur.

Hoc Capitulum est consonum octa-
vo Constitutionis Blesensis articulo.

CAPUT X.

*De potestate Capitulum Sede
vacante.*

Non liceat Capitulis Ecclesiarum, Sede
vacante infra annum a die vacationis,
ordinandi licentiam, aut literas dimissorias,
seu reverendas, ut aliqui vocant, tam ex
juris communis dispositione, quam etiam
cujusvis privilegii, aut consuetudinis vigore,
alicui, qui Beneficii Ecclesiastici recepti, si-
ve recipiendi occasione arctatus non fuerit,
concedere; si secus fiat, capitulum contrave-
niens Ecclesiastico subjaceat interdicto, si in
minoribus ordinibus constituti fuerint, nullo
privilegio clericali, præsertim in criminali-
bus, gaudeant: in majoribus vero, ab exce-
cutione

Sæcul. XVI. *cutione ordinum, ad beneplacitum futuri*
A. C. 1547. Prælati, sint ipso jure suspensi.

Attenta veteri consuetudine Metropolitanus vacante Sede Episcopali totius Diœcesis administrationem absque ulla controversia habebat, eandemque vel ad se transferebat, vel illius curam cuidam suæ Provinciæ Episcopo tanquam Visitatori demandabat; Clero autem duntaxat, ne Ecclesiæ bona dissiparentur, inspectio relinquebatur. Hæc consuetudo in Galliis adhuc exeunte nono sæculo vigeat, ac primum quadringentis abhinc annis in Diœcesibus Capitula Sede vacante jurisdictionem exercent.

CAPUT XI.

De Facultatibus ad Ordinum susceptionem.

Facultas de promovendo a quocunque non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam a propriis Episcopis ordinari non possint, in literis exprimendam, Et tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua Diœcesi residente, aut pro eo Pontificalia exercente, Et diligenti prævio examine.

CAPUT

CAPUT XII.

Sæc. XVI,
A.C. 1547.*De Dispensationibus ad Ordines
suscipiendos.*

Facultates de non promovendo, præterquam in casibus a jure expressis, concessæ, ad annum tantum suffragentur.

CAPUT XIII.

De Beneficiatis ab Episcopo examinandis.

Præsentati, seu electi, vel nominati a quibusvis Ecclesiasticis Personis, etiam Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quævis Ecclesiastica Beneficia non instituantur, nec confirmantur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis Privilegii, seu consuetudinis etiam ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint prius a locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti: & nullus appellationis remedio se tueri possit, quo minus examen subire teneatur: præsentatis tamen electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium Studiorum exceptis.

Optandum foret, quod Synodus ad Caroli IX. preces, quas per suos Legatos eidem fecerat, antiquam Ecclesiæ

Sæc. XVI. siæ disciplinam revocasset (*), vi cu
A.C. 1547. jus juxta Synodi Chalcedonensis Decre-
 tum nullus Sacerdotio initiabatur, nisi
 simul eidem vel quoddam Beneficium,
 vel Ecclesiasticum Ministerium attri-
 bueretur. Hac consuetudine in Eccle-
 sia adhuc vigente Episcopus, qui ali-
 quem Clericum sacrabat, pariter eun-
 dem examinabat, an ad Ministerium,
 quod ei committeretur, esset idoneus?
 cum vero Ordinum susceptio a Benefi-
 cii collatione fuisset sejuncta, ordinan-
 dos gemino examini subicere oportebat,
 cum duæ etiam Ordinationes in-
 tercederent, quarum prima fiebat,
 quando sacros Ordines suscipiebant,
 eosque Episcopus ad Ministerium, quod
 eis tamen non fuit assignatum, dignos
 cen-

(*) Omnium Pseudo-Politicorum ac Re-
 formatorum antiqua est cantilena, qua veteris
 disciplinæ rigorem, usumque restaurari verbis
 exoptant, eo obtentu, ut abusus tollantur,
 cum tamen interea haud memores sint, quod
 inter perniciosissimos Ecclesiasticæ Disciplinæ
 abusus maximus, isque vix non unicus sit, quod
 universalis Ecclesiæ Decretis, & summorum
 Pontificum Constitutionibus non obtemperetur,
 sed quis perverfæ criticæ auxilio sufful-
 tus eorum leges carpere, emendare, ac tan-
 quam statui noxias vituperare præsumat, non
 sine maximo ipsius etiam Religionis dispendio.

censuit. Altera est tunc, quando ip-
 sis cujusdam Ecclesiæ regimen commi-
 sit, certumque Beneficium contulit. Sæcul. XVI.
A.C. 1547.
 Enimvero hac voce *Ordinatio* Gratianus
 tam in hac, quam in priori significatione
 utitur. Cum ergo Episcopus quivis ex
 jure communi plenam Ministros Eccle-
 siæ instituendi potestatem habeat, ne-
 cesse est, ut illos vel per se, vel per
 alios examinet, ut de aptis eorum do-
 ctibus certus sit: hæc tamen Regula
 plures patitur exceptiones circa Abba-
 tes, Capitula, & Prælatos inferiores,
 ut apud Juris Canonici peritos videre est.

CAPUT XIV.

*De cognoscendis causis civilibus ex-
emptorum.*

*In exemptorum causis constitutio Innocentii
 IV. quæ incipit: Volentes in generali
 Concilio Lugdunensi edita servetur, quam
 eadem sacrosancta Synodus innovandam cen-
 suit, & innovat, addendo insuper, quod
 in civilibus causis mercedum, & miserabi-
 lium personarum, Clerici sæculares, aut
 regulares extra Monasterium degentes, quo-
 modolibet exempti, etiamsi certum Judicem
 a Sede Apostolica Deputatum in partibus
 habeant; in aliis vero, si ipsum Judicem
 non habuerint, coram locorum Ordinariis,
 tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis, con-
 veniri,*

Sæcul. XVI. *veniri, & jure medio ad solvendum debitum*
A.C. 1547. *cogi, & compelli possint, privilegiis, exem-*
ptionibus, conservatorum deputationibus,
& eorum inhibitionibus, adversus præmis-
sa nequaquam valituris.

Ceterum advertere juvat, quod nul-
 li in Galliis dentur Clerici ab Episcopo-
 rum jurisdictione exempti, ac soli sint Re-
 gulares, qui proprie Episcopis non sunt
 subjecti, licet olim Abbates, & Mona-
 chi his æque ac Clerici essent subditi,
 (*) prout ex pluribus elucet Conciliis,
 unde Episcopi ex jure antiquo plenam
 in Regulares jurisdictionem exercebant,
 hique a prima origine sua illis erant
 subditi: Successu autem temporis sum-
 mi Pontifices Monasteria ab Ordinario-
 rum jurisdictione exemerunt, estque
 nonnullorum opinio, quod S. Grego-
 rius Magnus præ ceteris primus hunc
 illis favorem concesserit. Non desunt
 tamen varii casus, in quibus Regula-
 res, quantumvis exempti, Episcopo-
 rum tamen jurisdictionem agnoscere,
 eorumque disciplinæ sese subicere te-
 nentur, nam I. eisdem subduntur in om-
 nibus, quæ curam animarum ac Sa-
 cramentorum administrationem concer-
 nunt; circa ea enim Episcopo ratio-
 nem reddere ejusque visitationi ac cor-
 rectio-

(*) Supple, circa aliqua.

rectioni subiacere adstringuntur. II. In **Sæcul. XVI.**
 rebus fidei, licet exempti sint, Episco- **A.C. 1547.**
 porum iudicio stare tenentur, cum hi
 sint doctrinæ Magistri. III. Quando
 agitur de crimine a Regulari perpetra-
 to, ac procedendum est *in forma iudicii*,
 tunc ex Aurelianensi Decreto Art. 21.
 necnon ex Pontificum decisionibus, ex-
 cluso omni alio Iudice, hujus causæ
 cognitio ad Episcopum pertinet. IV. In
 Gallis quoque Episcopi iudicant de om-
 nibus noxis a Regularibus contra Eu-
 charistiæ Sacramentum commissis. V.
 Juxta Henrici IV. statutum Episcopus
 Religiosos ad vitam suo instituto con-
 sonam, necnon ad observandam Mona-
 sticam disciplinam adstringere potest,
 sique eorum Superiores ab Episcopo ad-
 moniti suos subditos non corrigant, tum
 evoluta semestri ipsimet eos corripere,
 ac malis exinde forte emergentibus re-
 medium opponere possunt. VI. Si Re-
 ligiosus anathemate vel *a Jure*, vel *ab*
homine irretitus sit, Episcopus denun-
 tiare valet, quod ille sit vitandus. VII.
 Pariter Regulares Episcopis subjecti sunt
 eo, tantoque tempore, quanto in Prio-
 ratibus, Capellis, vel ædibus Episco-
 pali jurisdictioni obnoxii agunt. VIII.
 Ab Episcopis etiam illi, quibus anima-
 rum cura demandatur, confirmatio-
 nis, atque institutionis literas accipiunt.

Sæcul. XVI IX Extra suas Ecclesias sine licentia, aut in propriis Ecclesiis reclamante Episcopo ad populum dicere, Indulgentias denunciare, SS. Sacramentum exponere, excommunicatos, qui jam sunt denunciati, absolvere, aut in Diocesi absque Episcopi permisso Eleemosynas colligere nequeunt. X. Denique ejus jurisdictioni subduntur, quando in exercenda jurisdictione, vel administrandis Sacramentis graves committunt errores: si vero obedire renuunt, eorum Ecclesiæ interdicto subjici queunt (*).

CAPUT XV.

De Ordinariorum Jurisdictione in Hospitalia.

Curent Ordinarii, ut Hospitalia quæcumque a suis Administratoribus, quocumque illi nomine censeantur, etiam quomodolibet exemptis, fideliter & diligenter gubernentur, constitutionis Concilii Viennensis, quæ incipit, quia contingit, forma servata, quam quidem constitutionem eadem sancta Synodus innovandam duxit, & innovat, cum derogationibus in ea contentis.
Igitur

(*) Hanc in rem plures, eæque gravissimæ fieri possent, ac deberent animadversiones, sed quid demum hæc ad Historicum?

Igitur Episcopis incumbit cura, ut Sæcul. XVI.
 suæ Diœcesis Xenodochia rite admini- A.C. 1547.
 strentur, proin Administratores de suo
 munere monendi, eosque ad illius ra-
 tionem cogendi, imo & eosdem a suis
 Officiis amovendi, aliosque subrogandi
 jus illis competit, nec minus possunt eti-
 am Hospitalia lustrare, nisi illa imme-
 diate, ut vocant, Regum jurisdictioni
 sint obnoxia; in hoc enim eventu ho-
 rum licentia ipsis est necessaria. Præ-
 terea ad Episcopos pertinet harum æ-
 dium redditus Leprosorum vel infantum
 expositorum sustentationi attribuere, si
 vero ejusmodi homines haud amplius
 in quadam urbe reperiantur, valent
 hosce proventus ad alios pios usus im-
 pendere, ita tamen, ut semper magis
 piam Fundatorum voluntatem assequi
 satagant: id tamen ut facere possint, ex
 Capitulo juxta arbitrium suum feligen-
 do duarum partium suffragia concurre-
 re debent. Insuper Episcopi nulli ad-
 ministrationis curam ultra trimestre con-
 cedant, sed absque ulla spe veniæ reos
 ad fructuum restitutionem compellant.
 Ea autem, quæ hoc in loco de Noso-
 comiis dicuntur, pari etiam ratione de
 aliis locis ad sublevandas pauperum
 miserias intelligenda veniunt, si vero
 hæc loca in titulum sunt erecta, tunc
 Titularis rationem reddere non tenetur,

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

quia proprium suum bonum administrat, sed tunc duntaxat Episcopi est, ut foundationes rite adimpleri invigilet, atque ad id Titularem adstringat.

Omnibus hisce Capitulis in Sessione perlectis, atque approbatis sacra Synodus proximam Sessionem celebrandam indixit feria quinta post Dominicam, ut vocant, *in Albis*, seu *Quasi modo*, quæ illo anno in diem vigesimam primam Aprilis incidit.

§. XXI.

Synodi Bononiam transferendæ propositio a Legatis facta.

*Pallav. hist.
Conc. Trid.
l. 9. c. 14. n.
4. & 5.*

Bi duo post absolutam Sessionem septimam Legati convenerunt, atque habito conventu dogmata de Sacramentis ulterius discutere constituerunt, ac præprimis de Eucharistia egerunt, verum haud diu protrahebatur examen; quippe Patres repentina Henrici Loffredi Caputaquensis Episcopi, ac plurium aliorum morte perterriti verebantur, ne morbus, quo Tridentinæ urbis incolæ potissimam partem laborabant, contagionis speciem contineret, atque ipsi exinde rebus adeo seriis adhucdum pertractandis haud ultra sese impendere possent, quocirca sese recipere intenti diutius in ea urbe mora-

morari pertimescebant, ubi jamjam pestilentiae indicia deprehendebantur, rumorque spargebatur, quod urbs ab omni exterorum commercio interdiceretur: Igitur an verus, ut affirmatur, timor, vel sparsus duntaxat, ac nimia facilitate susceptus subfuerit, haud examini subjicimus, interim id certum est, quod Legati Concilii translationem exoptantes absque fastidio hanc occasionem captarint, eo potissimum nomine, quod hoc pacto jussa Pontificis exequerentur, cum ab hoc per diploma hucusque sedulo occultatum ipsis Synodum transferendi potestas esset concessa (*). Ut vero adhuc magis solido inniterentur fundamento, suumque agendi modum prudentiae, ac ipsius quoque necessitatis rationibus firmare viderentur, duos Medicinae artis peritos in consilium vocarunt. Horum primus erat Balduinus Cardinalis Montani Medicus familiaris, alter vero Hieronymus Fracastorius, quem sibi Medicum Synodus selegerat. Hi ambo una consensere, quod morbus Tridenti grassans in contagionem incalescente postmodum aere

U 5 eruptu-

(*) In praefato diplomate addita erat haec conditio, *si Patrum plerique consentirent, & Legati grave aliquod incommodum Sedi Apostolicae impendens animadvertent.*

Sæcul. XVI erupturam præfagiret. Legati horum
A.C. 1547 iudicio freti protinus Herculi Severolæ
 Synodi Promotori negotium dedere,
 ut de morbis Tridenti grassantibus scri-
 ptum conficeret testimonium.

*Pallav. l. 9.
 c. 13. n. 6.*

Commendabatur etiam ab omnibus
 provida hæc Legatorum solertia, cujus
 necessitas brevi elucescebat ex eo, quod
 vicinis in locis sparso contagii rumore
 jam de interdicens cum Tridentinis
 commercio ageretur, pluresque Præ-
 fules discedendi veniam peterent, alii
 vero nec salutato hospite jamjam abiis-
 sent: igitur Legati hac fama perculsi die
 nona Martii conventum habuerunt, in
 quo, postquam variæ opiniones circa
 quæstionem de Eucharistia in nupero
 cœtu agitatam proponebantur, Monta-
 nus Cardinalis ita effatus est: ingens est
 periculum, quod Concilio imminet; ti-
 mendum enim, ne Patres omni ope ne-
 cessaria destituti fame Tridenti perire
 cogantur; hanc ob rem jam duodecim
 Episcopi prætenfa vitæ tuendæ necessi-
 tate discesserunt, alii etiam venia non
 petita id fecerunt: equidem nullius con-
 filii auctor Patribus esse volo, sed id exequi
 intendo, quod ceteris placuerit; ego
 enim, ac Socius meus ad omnia præter-
 terquam ad Synodi dissolutionem pa-
 rati sumus; nam hac concessa adeo non
 Germaniæ Præfules detineri poterunt,
 ut

ut etiam generale Concilium dissolvi Sæcul. XVI. A C. 1547.
 cernentes facile particularem Nationis
 suæ conventum cogere molirentur, ibi-
 demque ea, quæ fidem moresque con-
 cernunt, decidere præsumerent. In-
 terim hæc nostris mentibus insidet opi-
 nio, Synodum duntaxat esse transferen-
 dam in quamdam civitatem, ubi major
 adspirat securitas. His dictis Præ-
 fes per Concilii Promotorem scriptum
 testimonium, necnon utriusque Medici
 iudicium prælegi iussit, atque a Patri-
 bus, quid de hac translatione sentirent,
 sciscitabatur. Ad hæc plures responde-
 bant, quod discedere vellent, cunctis-
 que ad sua revertendi facultas conce-
 denda esset.

§. XXII.

*Pacceci Cardinalis responsum ad Le-
gatorum propositionem.*

Paccecus Cardinalis, qui Caroli V. Pallav. l. 9. c. 13. n. 7. Raynal. hoc an. n. 42.
 Legato, necnon Cardinale Madru-
 tio absentibus Cæsaris negotia procura-
 bat, Legatis hæc in responsis dabat:
*Id quod in deliberationem fuit adductum,
 negotium est ex gravissimis ac difficillimis om-
 nium, quæ geri possent, in quibus videlicet
 rerum, temporisque conditionibus, & quo
 pacto Concilia transferri debeant. Mibi
 exploratum nondum est, an plane liceret id
 agi-*

Sæcul. XVI. A.C. 1547. *agitare inconsultis Pontifice, ac Cæsare, cujus postulatione, atque opera Concilium fuerat Tridenti coactum. Paucis, fateor inscitiam meam, ut qui ea eruditione non polleo, qua possem improvise sententiam ferre, quid in hujusmodi conditionibus jus postularet: proinde existimo æquum esse, ut aliquot dierum spatium mihi, aliisque concedatur ad rem accuratiori studio, ac meditatione perpendendam. Ubi vero opus erit repentino responso; videtur mihi nihil molendum, nisi comperta prius Pontificis, ac Cæsaris voluntate, cum hæc translatio fieri nequeat absque Papæ auctoritate, vel sine Principum consensu (*).*

Hanc Pacceci opinionem omnes Hispani Præsules, atque Turritanus, ac Panormitanus Archiepiscopi, necnon Calvensis, Fefulanus, S. Marci, & Siracusanus Episcopi, aliique plures Cæsaris partibus addicti approbarunt: Ceteri vero censebant, securitati cujuslibet esse prospiciendum, cunctisque abeundi facultatem protinus concedendam, eoquod pestilentix metus ad hunc discessum validam suppeditaret rationem. Cum ergo Paccecus Patres in diversas opiniones scindi cerneret, delibe-

(*) Hæc ultima verba *de Principum consensu* Continuator de suo adjecit.

liberandi spatium petiit, quod eidem Sæcul. XVI.
 datum quoque a Legatis, qui interea A.C. 1547.
 quosdam Episcopos ad urgendam Sy-
 nodi translationem inducebant.

§. XXIII.

*De Synodi translatione in quodam
 conventu deliberatum.*

Altera die generalis Patrum conven- Pallav. c. 14.
 tus habebatur, in quo Cardinalis n. 1.
 Montanus ita perorabat. *Unacum So-*
cio meo varias nuperi cætus sententias volu-
tavi, & inter eas minime probare possum
sententiam suspensioni faventem: id enim re-
ipsa tacita Concilii solutio foret, per quam
illis fructibus Ecclesia fraudaretur, quos
tunc decerpebat, quosque longe copiosiores
sperabat ab ea Synodo, tot laboribus jam
coacta: neque mihi magis probari videtur
permissum singulis arbitrium abeundi, cum
in id tot Patres tam avidè serantur, ut om-
nium plane discessus esset revera secuturus.
Quapropter si Tridentum pro eo, ac plures
cupiebant, deserendum esset, optimum mihi
videretur, si aliorsum Concilium deporta-
retur: in hoc tamen plurimum loci ratio
habenda; quippe qui ejusmodi esse oportet,
ut illum ex improviseo commigrantes
haud difficulter exciperet, nec nimis inde re-
motus esset, tum ob Fratrum eo advenienti-
um, tum etiam ob Germanorum commodi-
tatem,

Sæcul. XVI. *tatem, qui erunt advocandi; ut domiciliis*
 A.C 1547. *alimentisque abundaret, ac demum aeris sa-*
lubritate polleret. Has omnes condiciones
puto Bononiæ unice convenire, adeoque eam
collocandæ Synodi aptissimam Sedem esse.

Fra Paolo
hist Conc.
Triâ. l. 2. ad
finem.

Refert quidam Scriptor, quod Mon-
 tanus Cardinalis subjunxerit, Concilium
 esse transferendum pro ea, qua is a Principio
 Synodi auctoritate Apostolica fuisset instru-
 ctus. Tum Pontificis diploma, quo ei-
 dem hæc potestas erat data, recitari
 curaverit his verbis conceptum.

§. XXIV.

Diploma Pauli III. Pontificis de trans-
ferenda Synodo.

Paulus Episcopus servus servorum Dei,
 venerabili fratri Joanni Mariæ Epi-
 scopo Prænestino, & dilectis filiis Marcello
 tituli sanctæ Crucis in Jerusalem Presbyte-
 ro, ac Reginaldo sanctæ Mariæ in Cosme-
 din Diacono, Cardinalibus nostris, & A-
 postolicæ Sedis Legatis de Latere, salutem,
 & Apostolicam Benedictionem, Regimini
 universalis Ecclesiæ, meritis licet imparibus,
 disponente Domino præsidentes, nostri Offi-
 cii partes esse putamus, ut si quid gravius
 caussa Reipublicæ constituendum sit, id non
 modo tempore opportuno, verum etiam lo-
 co commodo, & idoneo perficiatur: cum
 itaque nos nuper, postquam suspensionem ce-
 lebra-

lebrationis sacri Oecumenici, & universa-
 lis Concilii, alias per nos in Civitate Tri-
 dentina ex causis tunc expressis, de Vene-
 rabilium Fratrum nostrorum sanctæ Romanæ
 Ecclesiæ Cardinalium consilio, & assensu
 indicti, ex certis aliis etiam tunc expressis
 causis, usque ad aliud opportunius, &
 commodius tempus per nos declarandum, de
 simili consilio & assensu factam, audita pa-
 ce inter charissimos in Christo filios nostros
 Carolum Romanorum Imperatorem semper
 Augustum, & Franciscum Francorum Re-
 gem Christianissimum conciliata, pari consi-
 lio & assensu sustuleramus, & amovera-
 mus; nequeunt ipsi, tunc legitime impedi-
 ti, ad dictam civitatem personaliter accede-
 re, & eidem Concilio interesse, vos nostros
 & Apostolicæ Sedis Legatos de latere in eo-
 dem Concilio de simili consilio constituerimus,
 & deputaverimus, vosque ad eandem civi-
 tatem tanquam pacis Angelos destinaveri-
 mus, prout in diversis nostris desuper con-
 fectis literis plenius continetur. Nos ne tam
 sanctum celebrationis Concilii hujusmodi o-
 pus ex incommoditate loci, aut alias quovis
 modo impediatur, aut plus debito differa-
 tur, opportune providere volentes, motu
 proprio, & ex certa scientia, ac de Apo-
 stolicæ potestatis plenitudine, parique consi-
 lio & assensu, vobis insimul, aut duobus
 ex vobis, reliquo legitimo impedimento de-
 tento, seu inde forte, absente, quandocun-
 que

Sæcul. XVI.
 A.C. 1547.

Sæcul. XVI
A. C. 1547.

que vobis videbitur, Concilium prædictum de eadem Civitate Tridentina ad quamcunque aliam commodiorem & opportuniorem, seu tutiorem Civitatem, de qua vobis etiam videbitur, transferendi, & mutandi, ac illud in ipsa Civitate Tridentina supprimendi, & dissolvendi, necnon Prælati, & aliis Personis Concilii hujusmodi, ne in eo ad ulteriora in dicta Civitate Tridentina procedant, etiam sub censuris & pœnis Ecclesiasticis inhibendi, ac idem Concilium in alia civitate hujusmodi, ad quam illud transferri, & mutari contigerit, continuandi, tenendi, & celebrandi, & ad illud Prælatos, & alias personas Concilii Tridentini hujusmodi, etiam sub perjurii, & aliis in literis indictionis Concilii hujusmodi expressis pœnis evocandi, eidemque sic translato, & mutato Concilio nomine & auctoritate prædictis præsidendi, ac in eo procedendi, cæteraque in præmissis, & circa ea necessaria & opportuna, alias juxta priorum vobis directarum literarum continentiam, & tenorem faciendi, statuendi, ordinandi & exequendi, plenam & liberam Apostolica Auctoritate tenore præsentium concedimus potestatem & facultatem, ratum & gratum habituri, quicquid per vos in præmissis factum, statutum, ordinatum executumve fuerit, idque facturi, auctore Domino inviolabiliter observari, non obstantibus constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæteris-

cæterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire: Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum. Datum Romæ apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, octavo Kalendas Martii, Pontificatus nostri anno undecimo.

Sæc. XVI.

A.C. 1547.

§. XXV.

Pacceci molimina ad impediendam Synodi translationem.

Hoc Legatorum consilium de transfere-^{Pall. c. 146}
renda Synodo displicuit Pacceco^{n. 2.}
Cardinali, minusque gratum habuit,
quod hæc translatio ipso Pontificis di-
plomate firmaretur; quapropter ne &
ipsum hujus propositi particeps videretur,
ita perorabat: *Quam indigne ferent
Principes Religionis studiosi fructus ex tot
laboribus expectati jacturam per eam in-
tempestivam profectionem? quam communis
universo Christiano generi futura erit indig-
natio, cum tam præcipitis commotionis caus-
sam nemo perspiciet. Unus, qui obtrudi-
tur, titulus, sunt febres lethales, quæ ru-
bris pustulis contagionem nuntiant; ego ta-*
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. X men

Sæcul. XVI
 A.C. 1547.
 men a Curionibus rescio, quod paucissimi eo morbo extingantur: in S. Petri Parœcia, satis populo referta, ab ineunte mense non nisi duo occubuerunt, alter infans, hydropticus alter: tota in Urbe ultra quadraginta homines non ægrotant, & inter eos vix quinque ex morbo suspecto decumbunt: licet Concilio id pernoscere, aliquot Patribus destinatis, qui rem explorent: parum moveor testificatione duorum externorum Medicorum: Tridentini Medici longe aliter sentiunt, qui tametsi a Fracastorio rogati ejus sententiæ subscribere recusabant: verum utcunque est, haud licet de loco ad locum asportare Concilia, nisi Patribus in id unanimi suffragio conspirantibus, quemadmodum Jacobatius Cardinalis docebat, qui recens de Concilio scripserat. Id in præsentia non contingit, ac Patres inter se dissentiunt, nec sola voce, quæ statim obmutescit, repugnare volunt, sed scripto, quod semper loquitur, adeoque & ego meam hanc sententiam libello committere volui, ut perpetuæ posterorum memoriæ traderetur. Postremo nihil innovandum videtur, nisi perspecta prius Pontificis, ac Cæsaris mente, quos dubitandum non est, illius sacrosancti Senatus excidio nunquam consensuros.

§. XXVI.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.*Legatorum responsio ad Pacceci Cardinalis orationem.*Hisce Pacceci rationibus Cervinus *Pall. ib. n. 3.*

Cardinalis paucis verbis ita respondit: Quod exteri Medici testificabantur, extra dubitationem est, eorumque dictis ob sapientiam ac libertatem longe major auctoritas tribuenda, quam indigenarum testimonio: Synodus non alia de causa Tridenti fuit celebrata, nisi ut allicerentur Germani: quæ ratio evanescebat, quando Protestantes postea in duobus Conventibus pronuntiaverant, se illam pro legitima non habere, pleneque recusant ibi interesse; Catholici vero, qua belli impedimento, qua hæreticorum metu, suam absentiam excusarunt: tunc vero vel maxime spes ipsorum adventus exiit, cum pestis, quæ in Germania grassabatur, prohibebat accessum. Nec mihi temperare possum, quin adderem (sinceriore fortasse animo, quam prudenti) alias quoque rationes suppetere, quæ translationem suadent. At Montanus rem ab exordio repetens ita respondit: Frustra in dubium vocatur numerus extinctorum, cum recenter defossa, & complanata urbis cœmeteria cernantur, ne magnus tumulorum numerus illatorum cadaverum multitudinem palam faceret; qua ex causa pariter ab

X 2

illo,

Sæcul. XVI illo, qui præerat, silere in posterum jubebantur in funeribus templorum æra, Et non
A.C. 1547. Et decedentium corpora clam efferrî, ut his artibus ignoratum discrimen segnius vitaretur: De cetero Tridentini vulgaris notæ Medici cum Faracastorio, ea in arte per Italiam facile Principe, minime conferendi sunt: præterquam quod satis constet, Medicos Tridentinos voluisse hujus scriptum suis etiam nominibus confirmare, nisi efficacia quarundam studia ipsos ab eo consilio retraxissent: nihil etiam obstat, quod mandata Pontificis non præcederent; idcirco enim sue re ab illo subrogati Præfides, qui ipsius absentis partes agerent, quique cum plerisque Patrum id decernerent, quod potissimum agendum esset in casibus inopinatis, moræque intolerantibus. Cum autem opponatur, ad Conciliorum translationes necessarium esse unanimum deliberantium consensum, hoc nec legum effatis, nec Scriptorum auctoritate, nec rationum fundamentis innitur: ad summum, id opinari fas est, cum translatio pro mero arbitratu citra necessitatem intenditur. Cæterum quænam æquitas persuadet, ut unius pertinaciæ liceat universum Ecclesiæ Senatum inter mortis fauces detinere?

§. XXVII.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

*Hispani Præfules Synodi translationi
obluctantes.*

Nihilominus ex Hispanis Præfulibus Pollav. n. 5.
Raynald. l. c.
potissimi Cardinalis Pacceci senten-
tiæ adstipulabantur, atque inter eos
Pacensis Episcopus conatus est fusius
ostendere, *Concilium non nisi Tridenti Ger-
manorum causa esse continuandum*; & ip-
sius continuationis necessitatem dedu-
xit ex eo, quod pauca fidei dogmata
stabilita fuerint, & pauciora de mori-
bus Decreta adhucdum facta: horum
vero magnam congeriem coacervabat,
quæ a Synodo conficienda essent, & ea,
quæ fieri, quæve non fieri possent, pro-
miscue accumulabat, afferens, quod
eorum discussio alibi adeo commode per-
fici haud valeat. Denique illi, qui Pac-
ceco adhæserunt, palam denuntiabant,
*nullam subesse legitimam Tridento abeundi
causam, atque ubi ceteri discederent, se ta-
men perstituros, & una secum auctoritatem
Synodi permansuram.* Verum Legati,
cum ipsis per Pontificis diploma Syno-
dum, eo tempore ac modo, quo ipsis
necessarium videbitur, transferendi po-
testas esset concessa, sententiam suam
mutare renuebant.

X 3

Ergo

Sæcul. XVI. Ergo postera die decima Martii in
A.C.1547. Patrum Senatu de loco, ad quem Synodus transferretur, deliberatum, nec tamen adeo expedita erat rem decidi facultas; probe enim perspexerant Patres, quod urbs quædam absque illius Principis, qui ibidem dominatur, consensu seligi non valeat: insuper ancipites, & dubii adhuc hærebant, a quonam Principe ejusmodi licentia esset petenda. Ferventibus hisce curis tandem decisum, quod nihil magis opportunum juxta, ac expeditum foret, nisi Synodum ad Status Ecclesiastici urbem transferre, quam in rem Legati Bononiam proposuere, cunctis, qui translationem cupiebant, applaudentibus. Porro soli Præsules, qui Cæsari adhærebant, sese opponerant, jamque in eo erant, ut palam reclamarent: Verum eorum repugnantia flocci pendebatur; Montanus enim Cardinalis mox Pontificis assensum impetrandi negotium in se suscepit: Cæsari vero, ac reliquis Principibus, postquam in Decreto nominabantur, satisfactum iri agebat, imo subjunxit, reditum ad Tridentinam Urbem esse in Decreto promittendum, ut hoc pacto iis etiam satisfaceret, qui translationem minus acceptam habent: Priusquam tamen hæc Congregatio fuisset absoluta, Decretum condeba-

debat, eoque prælecto Sessio sequens Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 ad alteram diem undecimam Martii in-
 dicebatur, prius tamen Legati deman-
 darunt Severolo Concilii Promotori,
 ut de morbi contagio, atque imminen-
 te aeris corruptione legitime cognosce-
 ret.

§. XXVIII.

*Sessio octava, Decretaque Synodi
 translatio.*

Altera die, prout fuerat indicta, ce-
 lebrabatur Sessio octava, cunctis-
 que Patribus in Ecclesiæ Cathedralis
 aula congregatis, necnon Pontificio
 habitu indutis, cunctisque ritibus, pre-
 cibusque de more perfolutis Monta-
 nus Cardinalis ea, quæ ante unum
 duosque dies dixerat, paucis repetiit,
 præcipue vero denuo asseruit, quod ip-
 se, ejusque Socius æque ad disceden-
 dum, quam Tridenti permanendum ef-
 sent parati, prout Synodi Patribus li-
 beret, quamvis proniores ad discessum
 viderentur: his dictis fusius recensuit,
 jam aliquo ex tempore ortas esse in
 Tridentina Urbe febres adeo pestiferas,
 ut eo morbo quamplurimi indies extin-
 querentur, atque ex duorum & quidem
 exterorum Medicorum testimonio in-
 gens strages diutius Tridenti moranti-
 bus immineret. Hæc Cardinalis tam

Pallav. l. c.
 Labbe Coll.
 Conc. t. 14.
 p. 784 & seq.
 Raynald. hoc
 ann. n. 46.
 Extat in De-
 cret. Conc.
 post Sess. 7.
 & in actis
 Arch. Aque.
 Spond. hoc
 ann. n. 4.

Sæcul. XVI. A.C. 1547. gravi verborum pondere urgebat, ut facile colligi posset, quod ei potius discedendi consilium probaretur, ejusque animus, quem ad utrumque æque paratum præferebat, haud adeo sincerus fuerit, hinc scripta Medicorum, aliorumque testimonia, ac consultationes recitari jussit.

§. XXIX.

Decretum pro Concilio Bononiam transferendo.

His ita peractis Montanus edicebat, nil reliquum esse, nisi ut pro Synodo Bononiam transferenda prælegeretur Decretum eo conceptum tenore, qui plerisque Patrum in nupero Conventu placuisset, eratque hujusmodi:

Pallav. n. 2. Labb. p. 785. *Placetne vobis decernere, & declarare, de hujusmodi morbo ex præmissis, & aliis allegatis ita manifeste, & notorie constare, ut Prælati in hac civitate sine vitæ discrimine commorari, & in ea idcirco inviti minime retineri possint, & debeant? itemque attento recessu multorum Prælatorum post proxime præteritam Sessionem, & consideratis protestationibus aliorum complurium Prælatorum in Congregationibus generalibus factis, hinc omnino timore ipsius morbi abire volentium, qui juste detineri non possunt, & ex quorum discessu Concilium vel*
dissol-

dissolveretur, vel ex paucitate Prælatorum Sæcul. XVI.
 bonus ejus progressus impediretur; denique A.C. 1547.
 perpenso etiam imminente periculo vitæ, &
 aliis causis per aliquos ex Patribus in ipsis
 Congregationibus allegatis, utpote notorie
 veris, & legitimis, placetne vobis similiter
 decernere, & declarare, pro conservatione,
 & prosecutione ipsius Concilii, securitate
 vitæ ipsorum Prælatorum, Concilium ip-
 sum ad Civitatem Bononiæ, veluti ad lo-
 cum magis paratum, salubrem, & idone-
 um, pro tempore transferendum esse, & ex
 tunc transferri, & ibidem Sessionem jam
 indictam, statuta die, vigesima prima Apri-
 lis, celebrandam esse, & celebrari, & suc-
 cessive ad ulteriora procedendum, donec san-
 ctissimo Domino nostro, & sacro Concilio
 expedire videbitur, ut ad hunc, seu alium
 locum, communicato etiam consilio cum in-
 victissimo Cæsare, Christianissimo Rege, &
 aliis Regibus ac Principibus Christianis, ip-
 sum Concilium reduci possit, & debeat?

§. XXX.

*Pacceus, & Hispani Præfules huic
 Decreto obliuiscuntur.*

Cunctis respondentibus, Placet, hoc *Sarpi l. 2.*
 Decretum a triginta quinque Epi- *p. 350.*
 scopis, ac tribus supremis Ordinum *Pall. l. 9. c.*
 Præpositis fuit approbatum: Pacceus *15. n. 3.*
 vero Cardinalis sese huic Decreto oppo-
 situm

X 5

fuit

Sæcul. XVI
A.C. 1547. fuit una cum quindecim Episcopis, istique erant Tagliavia Panormitanus Archiepiscopus, Vigerius Senogallienfis, Martelus Fesulanus, Martiranus S. Marci, Heredia Bossanensis, Fonseca Castellomarinus, Salazar Lancianensis, Hieronymus de Bononia Syracusanus, Navarrus Pacensis, Jacobus de Alaba Astoricensis, Augustinus de Huesca Arragonensis, Bernardus Diaz Calaguritanus, Antonius de Cruce Canariensis, Balthasar Limpus de Lusitania Portuensis, Galleatius Florimundus Aquinatenfis. Hi omnes Episcopi Decreto sunt oblectati, & Pacceus hæc quoque objecit: *Testes ritu legitimo minime fuerunt interrogati, cum Severolus nullum ad id mandatum accepisset a Patrum Cætu, in quo multi postularant, ut Episcopis ea cura demandaretur. His addebat: a testibus fuit affirmatum id, quod ipsi ignorabant, quodque rei evidentia falsi convincebatur: nec denique Patres, qui partem oppositam tuebantur, ad id vocati fuere: adhæc in externorum Medicorum judicio minus auctoritatis inest, quam in judicio indigenarum, Tridentinum Cælum, corporumque habitudinem longe melius callentium. Insuper multorum Patrum discessus ex ejusmodi domicilii tædio, non ex metu discriminis evenit, quod sæpius etiam superioribus mensibus contigerat, ut proinde produ-*
 &c

*Et ad transferendam Synodum caussæ defici- Sæcul. XVI.
cerent, nec satis etiam suffragiorum ad id A.C. 1547.
haberi videtur, quippe ex Constantiensi Con-
cilio duæ tertiæ partes ad id obtinendum re-
quirebantur. Postremo etsi tandem demi-
grandum esset, nequaquam eundem foret
Bononiam, sed solum in aliam Germanicæ
Urbem, cum ex Provincia in Provinciam
transmittere non liceat: igitur se suadere
inquebat, ut potius Sessio prorogetur, a-
deoque Patres & aliquod laborum laxamen-
tum capiant, & spatium ad animos ab eo
metu, quamvis vano, relevandos aquirant.*

Reliqui Præfules Hispani Paccoco af-
fenserunt, quibus tamen Turritanus E-
piscopus hæc subjunxit: *Copiosa spei
messis in herba suffocatur ea Synodi migra-
tione, dum Cæsaris victoriæ obsequium uni-
versæ Germanicæ pollicebantur: paratum me
quidem offero ad translationem comprobandam,
ubi auctoritate Pontificis illa haberetur;
sed hac deficiente, quamquam opposita
sententia capitum numero vinceret, longe
amplius eadem vinci videtur pondere ratio-
num, adeoque sententiam meam, quippe ho-
nestiori caussæ patrocinantem, secundum Ca-
nones antehabendam censeo.*

Præterea Asturicensis Episcopus,
quod Synodus Bononiæ debita libertate
haud gauderet, affirmavit, ceterique
omnes ad hoc Legatis auctoritatem
deesse

Sæcul. XVI. deesse contendebant, petentes, ut prius hac super re Pontificis, Cæsarisque voluntas exploraretur: Verum Michael Sarrafinus Archiepiscopus Matteranus quamvis & ipse Caroli V. Imperio esset obnoxius, cunctas hasce Hispanorum rationes strenue confutavit, ac Legatos in transferenda Synodo meliorem partem elegisse ostendit: Cum vero ex Constantiensi Concilio objiceretur, quod ejusmodi translationes sine duarum ex tribus partibus consensu fieri non possint, ad hæc Campegius Feltrensis Episcopus reposuit, Tridentinæ Synodo utpote posteriori ea, quæ prius Concilium decrevit, immutandi facultatem competere. Verum vanæ erant omnes hæc disceptationes, cum eorum, qui translationem cupiebant, numerus longe duas suffragantium partes excederet, quinimo Britonoriensis, & Salutiarum Antistites Turrítani rationes egregie refellebant.

§. XXXI.

Synodi translatio a viginti octo Præsulibus approbata.

Pallav. c. 15. **M**arcus Vigerius Senogalliensis Episcopus præ ceteris, ut fertur, efficacius pro transferenda Synodo perorabat
num. 10.

orabat (*) hæc effatus, videtur mihi ^{Sæcul. XVI.}
Synodus transportanda, propterea, quod ^{A.C. 1547.}
necessarium id credatur, sed ad conciliandos
contradicientium animos, atque ad consilii
societatem adducendos, satius duco, quod
ita Tridento Patres decedant, ut simul ju-
rejurando se obstringant, se illuc redituros, ubi
Romano Pontifici, atque ipsi Synodo in rem
Christianæ Reipublicæ id videretur: quod
si satis non esset ad schismatis periculum evi-
tandum, Tridenti potius mortem oppeten-
dam arbitror, quam cum vitæ incolumitate
unitatem Ecclesiæ in discrimen adducere.

His Claudius Guischius Agathensis
 Episcopus natione Gallus addidit, quod
 nondum certi quicquam hac super re sta-
 tuerit; cum autem Paccucus hujus
 Præsulis suffragio ceteros Gallicæ na-
 tionis Viros ad sua studia pertrahendos
 speraret, hinc Claudium vehementer
 urge-

(*) Si ita est, qua ratione igitur Conti-
 nuator hunc Episcopum accensere potuit illis,
 qui translationi obsistebant; cum tamen ipsi
 haud incognitum esse potuerit, quod Pallavi-
 cinus l. 9. cap. 15. num. 7. Paulum Sarpium
 eam ob culpam his verbis redarguerit: *Omit-*
tendam haud putaverim Vigerii sententiam, ut
appareat, quantum a vero aberraverit Suavis,
dum inter adversantes translationi illum con-
numeret.

Sæcul. XVI. urgebat, ne in ancipiti fluctaret: ast A.C. 1547. apostolicæ Cameræ Auditor eidem opposuit, quod cuius liberum esset veterem formulam: *Non licet*: in usum deducere, ut proin hac in re uberiorem scientiam sibi comparare studeret. Postmodum collectis a Massarello, qui Concilio a Secretis erat, suffragiis ex quinquaginta quinque Patribus tum præsentibus triginta octo Synodum esse transferendam censuerunt.

§. XXXII.

Synodi Patres Tridento Bononiam profecti.

Pallav. l. 9. c. 17. **A**pprobato translationis Decreto altera die duodecima Martii Legati, *Diar. Conc. Trid. p. 214* necnon Episcopi ipsis faventes discessum parabant, Bononiam petaturi: *Apud. Rayn. hoc an. n. 53. Et 54.* Igitur uno signo Crucis præferente cum consueta pompa proficiscuntur, ac die vigesima ejusdem Mensis unacum plurimis Episcopis natione Italis præfatam urbem ingrediuntur: Hispani vero, necnon illi, qui Caroli V. Imperio parebant, Tridento excedere renuentes, ibidem, ut obtendebant, Cæsaris iussa præstolabantur. Abierunt quoque mense Februario ad medium vergente Galliarum Regis Oratores, cumque tumultus, qui ex hac translatione in Synodo exori-

exoriturum dicebantur, præviderent, Venetias contenderunt.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

Equidem Fesulanus Episcopus unicum illis, qui huic translationi obsisterent, Tridenti permanebat, tandem vero ejus pertinacia expugnabatur oburgatione, qua eum Legatorum primus excipiebat, hinc rebus suis male consultum iri arbitratus, summum Pontificem, quem sibi graviter indignari verebatur, sibi conciliare festinabat, ut tamen eo certius veniam impetraret, Amicorum suorum, quos auctoritate ac potentia plurimum valere noverat, præcipue Poli ac Roldolpi Cardinalium patrocinium implorabat, & demum accepta Farnesii Cardinalis Epistola hanc in rem data quantocius Bononiam contendit: Agathensis vero, & Portuensis Episcopi neutri parti adhærere statuebant, sed tandem Tridentum reliquerunt, inde Bononiam profecturi. Horum primus, quem Franciscus I. ante obitum suum ad Mirapicensem Episcopatum nominaverat, Ferrariæ substituit Regis sui jussa præstolaturus: cum vero hic jamjam e vivis excessisset, atque Henricus II. ejus Filius Regnique Successor nondum de tota rei serie instructus esset, hinc præfatus Episcopus in eadem Urbe, ad quam se receperat, usque ad mensem Septembrem substitit,

tit,

Sæcul. XVI. tit, & postea unacum Franciæ Orato-
A.C. 1547. ribus Bononiam pergere jussus est. Sub
idem tempus pariter Episcopus Por-
tuensis, qui hucusque Tridenti hæsit,
Bononiam venit; cum enim triduo non-
dum evoluto ex suis domesticis duo mor-
bo correpti decederent, primas eo cu-
ras intendit, ut protinus aufugeret,
atque Italis Præsulibus Bononiæ sese
adjungeret.

§. XXXIII.

*Romanorum judicium de hac trans-
latione.*

Pallav. c. 17. *n. 4. & seq.* **C**um interea Legati a Viris Curia Romanæ addictis plurimum celebra-
rentur, quod Sedem Apostolicam ab
inultibus, quibus eam Tridenti expo-
nendam timebant, liberassent, ac Sy-
nodum ad Urbem Pontifici subditam
transtulissent, non deerant Hispani ac
Cæsarei, qui ob hanc agendi rationem
fatis aperte suam testabantur indigna-
tionem, præcipue vero culpam in Cer-
vinum Cardinalem rejicientes sparge-
bant, quod hæc translatio invitæ Na-
tionis suæ Episcopis, necnon inconsul-
to Cæsare facta summo Pontifici ac Ro-
manæ Curia admodum perniciofa ef-
fet, ex adverso autem nihil optabilius
Imperatori accidere potuisset; cum enim
hic

hic se ita a Paulo Papa contemptum ^{Sæcul. XVI.}
 experiretur, vicissim se a tuendæ ^{A.C. 1547.}
 auctoritatis Pontificiæ cura exemptum
 credere posset, ipsique integrum foret
 cum Protestantibus non sine magno
 sacræ Sedis præjudicio concordiam
 inire: quinimo ipsemet Pontifex acce-
 pto translationis nuntio variis animi
 motibus agitabatur: præprimis vero
 concepta utilitatis inde redundantis
 spes eum lætitia cumulabat, hinc con-
 vocato Purpuratorum Senatu pro Sy-
 nodi negotiis stabilito Legatorum san-
 ctionem, agendique rationem tanquam
 prudentem, ac legitimam commenda-
 bat, applaudentibus cunctis Cardina-
 libus, exceptis tribus, qui fuerunt ex
 Hispanis Burgensis, ac Coriensis Epi-
 scopi, & ex Italis solus Sadoletus,
 qui tres Episcopi contendebant, quod
 oportuisset rem prius cum Cæsare com-
 municare; verum eisdem Papa magis
 commotus respondit: res rite peracta
 est, nec ulterius differri potuit, cum
 Germani per solidos duos annos Tri-
 denti frustra fuissent expectati: post-
 quam vero Coriensis Episcopus, nescio,
 quid objecisset, Pontifex eum admonuit,
 decentiæ legibus præcipi, ut tantæ di-
 gnitatis Vir animum ab humanis affe-
 ctibus magis alienum præseferret.

§. XXXIV.

Hist. Eccles. Tom. XXXIX.

Y

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

§. XXXIV.

*Legatorum consilium non undequaque
Pontifici probatum.*

*Paſſbo. c. 17.
1111. 5.*

Verum summus Pontifex hæc publice eo ex fine effatus est, ut Legatorum auctoritatem contra hostium suorum calumnias tueretur, animo tamen suo non æque ea res illi probabatur, cum tumultus ex hac translatione emergens probe prospiceret: quoniam vero primævo naturæ genio potius, quam decrepitæ ætatis vitio quietis avidus erat, nec plenam ex eventu lætitiâ concepit, nec etiam assensum antea Legatis datum ex integro comprobavit; quinimo per Maffæum eisdem significari jussit, quod hæc translatio, si per bimestre fuisset dilata, longe acceptior accidisset, cum in duabus Sessionibus reliquæ Sanctiones circa fidei dogmata, morumque emendationem confici potuissent, ac demum Synodum non modo transferre, sed etiam absolvere, integrum fuisset, nunc vero haud consultum videretur, ut horum articulorum examen attento præsentis Synodi statu adeo festinanter perageretur, cum in duabus postremis Sessionibus omnia ex Apostolicæ Sedis reverentia, ac auctoritate digesta & stabilita cernerentur.

Præ-

Sæcul. XVI. nec calamo exprimi possunt. Interea vide-
A. C. 1547. tur mihi, neque cautius, neque honestius
 posse Cæsari responsum reddi, quam si sig-
 nificaretur, Concilium, uti sua sponte di-
 scesserat, ita par esse, ut sua sponte regre-
 deretur, ut proinde Cæsar Antislites, qui
 sublitterant, Bononiam mitteret, ibique re-
 ditum legitime decernendum curaret, quod
 Patribus suaderi facilius posset, injecta spe
 conciliandæ Germaniæ, ubi eadem prius
 promulgatas a Concilio Tridentino sanctio-
 nes Cæsaris ope complecteretur: ita igitur
 manifestum fiet, incommoda loci navatæ o-
 peræ fructu compensari. Porro hoc dato
 responso, & moræ Beneficium obtinebitur,
 & Pontifex, si conditiones acciperentur,
 duo summi pretii commoda consequetur, ni-
 mirum, ut Cæsariani Bononiensem, &
 Germani Tridentinam Synodum legitimas
 agnoscerent. His addebat Cervinus: Ad
 augendam Bononiensis Concilii dignitatem,
 ac nomen, tria plurimum conducunt: I.
 Si multorum Præsulum ipsi fiat accessio,
 quibus Cæsarianorum absentia compensetur,
 Synodique Majestas audior fiat. II. Si
 Pontifex, modo id valetudo permetteret,
 Bononiam veniret, menses aliquot ibi mora-
 turus; cum id intersit inter summum in ter-
 ris luminum Principem, ac summum in Cæ-
 lo, quod hic minora lumina disiciat, ille
 autem congreget; quod si per senium haud
 ipsi liceat, erit tamen usui, si per famæ ru-
 morem

morem id futurum vulgaretur. III. Si, Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 cum præcipua fidei dogmata jam sint statu-
 ta, de reliquis id temporis non ageretur,
 ceu de re Cæsari minus grata, & unice da-
 retur opera morum reparationi, utpote ab
 eodem expetitæ, & Christianis populis ac-
 ceptissimæ: cum facilius inducerentur homi-
 nes ad comprobandum ceu legitimum tribu-
 nal illud, cujus sanctionibus adeo salutari-
 bus gaudent.

§. XXXVI.

*Cæsar de Synodi translatione
questus.*

Hæc Cervini Cardinalis consilia plu- Pallav. l. 9. c. 18. n. 1.
 rimum probabantur summo Ponti-
 fici, hinc pluribus Episcopis Bononiam
 missis, datisque ad Cæsarem literis se-
 metipsum ad Synodum venturum edi-
 xit: Interea vero Pacceus Imperato-
 rem de Synodi translatione certio-
 reddidit, rogavitque, ut is, quid de-
 mum consilii Præsules Hispani cape-
 rent, perscribere vellet: postquam igi-
 tur Carolus die decima sexta Martii,
 seu quarta post approbatum Decretum
 die hasce literas acceperat, quantocius
 cursorem ad Joannem Vegam suum Ro-
 mæ Oratorem ablegavit, dato negotio,
 ut Synodum protinus revocari omni co-
 natu contenderet; existimabat enim,

Y 3

quod

Sæcul. XVI. quod id tum facilius fieri posset, si Pa-
A.C. 1547. tres Tridenti rursum congregati con-
 spicerentur, cum eorum discessus vix ad-
 huc innotesceret, ac aliunde Pontifex
 auctoritate sua hanc translationem non-
 dum confirmasset. Porro privatim Im-
 perator querebatur hunc in modum:
*Displicet mihi Concilii translatio, utpote
 me inconsulto habita, Et non levi detrimen-
 to futura expeditionis progressibus, Reli-
 gionisque concordie in Germania: Synodi
 securitas ad Cæsarem tanquam Ecclesie Pa-
 tronum pertinet: hæc vero, dum ea Bono-
 niæ degit, a me præstari non potest.*

Verum ad hasce literas Legati mox
 responsum dabant, eorumque exemplar
 Romam mittentes translatae Synodi æ-
 quitatem vindicare satagebant.

§. XXXVII.

*Legatorum Epistola ad Papæ Nun-
 tium, ac Cæsaris Oratorem.*

Hoc responsum in scio Papa datum e-
 rat; urgebat enim negotii gravi-
 tas: Legati itaque hæc ad Verallum
 Papæ Nuntium perscripserunt: *Ponti-
 fex equidem ægre tulit non absolutam Tri-
 denti Synodum, ubi eam adeo fructuose pro-
 gredi experiebatur, tum fidei dogmatis, tum
 disciplinae legibus magna ex parte sancitis.
 Porro illata expeditioni incommoda tanquam
 certa*

certa ponebantur, verum haud ejusmodi videntur, ob causam a nobis tibi perscriptam, si autem Cæsar incommoda vera esse perspiceret, speramus, eum pro sua prudentia ac qui bonique consulentem id, quod divina voluntate contigerat, virtute ac studio Religionis, qua pollet, hujusmodi damna reparaturum; præsertim vero subiecturum Ecclesiæ partem illam Germanicæ, quam Deus ipsi jam subjecerat. De cetero Pontifex & suo & Concilii nomine offert, quidquid huic operi conducet, & a Cæsare proponetur. Insuper cum Synodus sponte sua Tridento discessit, & per suffragia supra duas tertias partes, si nunc invita illic poneretur, perinde fiet, ac si ipsi auctoritas tum in rebus gestis, tum in agendis detraheretur, eademque ea libertate spoliaretur, quam illi Pontifex illibatam servaverat vel in iis, quæ sibi incommodum peperissent, suamque Aulam reformassent: præterquam quod per eas temporis conditiones id nullo pacto effici posset, dum adhuc morbus grassabatur, quo nuper alter ex Asturiensis familia oppressus obierat, alter ex comitatu Portuensis, qui Cardinalis propterea confestim inde discesserat. Verumtamen ubi Synodus eo regredi pro sua libertate decerneret, vel alio commigrare, Pontifex consentiret, eoque libentius, quod id Cæsari gratum fore intelligebat, sed ad hoc ipsum peragendum opus in primis est, ut ibi Synodus integra coalescat, ubi le-

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

Sæc. XVI. *gitime translata fuit, illucque Patres, qui*
 A.C. 1547. *Tridenti sublitterant se conferant, qui tam*
propositis a Cæsare rationibus, quam pro-
pria auctoritate, fortassis una omnes colle-
gas pertrahent, cum Patres Tridenti debi-
ta libertate non fruuntur: econtra vero Bo-
noniense urbs minime rejicienda, ceu suspe-
cti sit, cum inusitatum non fuerit, sæpius
Romæ fuisse celebrata Concilia; præterea
urbs illa ditionibus Cæsari studiosis undique
cingitur, & pro civium humanitate pluri-
imum ibi commodi exspectandum est: Quin-
imo si Cæsar id e Republica duceret, spera-
ri poterit, & ipsum & Pontificem eo con-
venturos ad confirmanda, quæ Synodus e-
vertendæ hæresi, & Ecclesiæ confirmandæ
utilia statuisset: quod autem Cæsar affirma-
bat, sui esse muneris tutari Concilium, hoc
intelligendum est, ubi necessitas cogeret, Pa-
tresque id exigent, quod tunc minime con-
tingebat, præsertim cum Paulus III. in medio
semper perstiterit, communis Parentis mu-
nere constanter perfundus, unde nulli na-
tionum de Pontifice ac Pontificiis Urbibus
suspicio inesse poterat. Postea Nun-
tio injunximus, ut Cæsarem precaretur,
quatenus nullam adhiberet fidem crebris ma-
levolentium susurris, qui cuperent in dubium
revocare Pontificis benevolentiam, tot pub-
licis privatisque nexibus obsiditæ Cæsari,
sibi que potius persuaderet, si quando alicui
ipsius postulato minus indulgeret Pontifex,
 id

id vel ex necessitate ob inopiam virium, vel Sæc. XVI.
 ex Religione ob animi persuasionem, non ex A.C. 1547.
 voluntate ob amoris defectum oriri.

§. XXXVIII.

Papæ Nuntius Cæsaris indignationem expertus.

Die vigesima quinta Februarii summus Pallav. l. 9.
 Pontifex quemdam nominavit Le-c. 19. n. 1.
 gatum, qui ad Cæsarem missus cum
 eodem de Anglia Ecclesiæ reconcilian-
 da conferret: cum vero postea evoluto
 uno mense Francisci I. obitus innotesceret, Papa etiam quemdam ablegabat Cardinalem, qui Henrico II. ejus Successori Pontificis tristitiam ex Patris obitu conceptam significaret, simulque obtentum Regni folium eidem gratularetur. Ceterum Ulmæ degebat Verallus Papæ apud Cæsarem Nuntius, cum acciperet literas, quibus ei Papa, ut Caroli animum de excipiendo Legato Apostolico exploraret, mandabat, simul eidem injungens, ut hanc Epistolam Cæsari prælegeret. Vix nuntius hæc mandata receperat, cum illico Imperatorem adiret: Attamen hunc valde iratum, ac tantopere omnis etiam rationis impatientem expertus est, ut primo nequidem Papæ Nuntium auscultare vellet. Hujus indignationis Auctor ex-

Y 5

stitisse

Sæcul. XVI. A.C. 1547. stitisse credebatur Cardinalis Madrutius, qui post Patrum discessum Bononiam versus mox ad Cæsaris Aulam convocabat; quinimo non deerant, qui suspicabantur, quod hæc Synodi translatio huic Cardinali ea ex caussa permolesta acciderit, quod speraret, novi Papæ electionem, si Sedes Pontificia durante Synodo vacaret, in ipsius Metropoli celebrandam, proin sibi haud exiguam Pontificatus spem fore reliquam. Porro ut res se habuerit, id pro comperto habemus, quod duo præsertim Caroli animum altius afflixerint, quorum primum erat: *Quod intelligeret, Germanos specioso prætextu eam Synodum rejeduros, cum ea alibi, quam in loco per ipsorum comitia constituto celebraretur, ac proinde Cæsar a concepta spe decideret redigendæ Germanicæ ad Religionis concordiam, adeoque ad pacis, Imperiique unitatem.*

Alterum erat *objecta quædam species sui contemptus, etenim cum antea tot annos Concilii celebratio prorogata fuisset, ut de loco, qui Cæsari probaretur, conveniret, nunc repente illud asportatum inde fuerat, & in sede, cui nunquam ille consenserat, collocatum, idque ne ipso quidem conscio, & in suo pene conspectu.*

§. XXXIX.

§. XXXIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.*Papæ Epistola Cæsari a Nuntio
prælecta.*

Interea summus Pontifex, cum ob rem *Pall. c. 19.*
gestam Cæsaris indignationem vere-^{no. 3. & 4.}
retur, sese excusabat, datisque literis
eum placare satagebat, hæc perscri-
bens: „ Eorum, quæ Tridenti acta sunt,
„ inscius fueram: Legati vero mei ne-
„ cessitate coacti ex seipsis illa fecerunt;
„ cum enim Episcoporum potissimi jam-
„ jam abiissent, & ceteri omnes disces-
„ sum pararent, Synodum transferre,
„ quam penitus dissolvere consultius
„ fuerat. Nec tamen sine magno ani-
„ mi mærore percepi, quod diutius
„ Tridenti persistere haud licuerit, nec
„ Concilium continuari potuerit, cuius
„ tamen auspicia Religioni pro stabili-
„ endis fidei dogmatibus, ac moribus
„ emendandis oppido proficua fuerant;
„ at certo mihi persuasum habeo, quod
„ Majestas vestra pro suo in Religio-
„ nem studio lubenter se divini Numi-
„ nis consiliis submittat, ac juncta me-
„ cum opera fidei bonum, atque in-
„ crementum procurare studeat, si æ-
„ quas Legatorum rationes, quibus
„ ad hanc translationem urgebantur,
„ serio perpenderit. „ Ast Cæsar per-
lecta

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

lecta hac Epistola allatas a Papa rationes minus validas, necnon inanes verborum ambages esse arbitratur, hinc ira correptus Nuntio respondit: *Non mihi persuadere possum translationem ignaro Pontifice transactam; nam nunquam hic voluit, ut Tridenti Synodus absolveretur, & ego non verbis credo, sed solum factis, quæ voce nunquam fallente loquuntur.* His dictis Cæsar putans, Marcelum Cervinum ex Legatis unum, qui vulgo Cardinalis sanctæ Crucis appellabatur, illius operis auctorem fuisse, adversus eum minas effudit, cum vero subjiceret Verallus, *id, ne Synodus dissolveretur, necessarium fuisse, satiusque esse eam Bononiæ, quam nusquam haberi,* hanc illius defensionem Cæsar rejecit, dicens; *probe notum mihi est, quod falsa rei causa adducatur, ac frivola,* „ Pontifex pro „ suo arbitrio agit, quicquid ipsi libet, „ iis vero, qui Tridentino Concilio obedientiam jam sponponderunt, justa „ adest causa, ne Bononiensi Synodo „ obtemperent. „ Ad hæc Papæ Nuntius respondens Cæsarem rogabat, *ut animo reputaret, quod non possit pervicax dici Pontifex, qui toties, & in tot rebus gravissimis Cæsari gratificatus fuerat, idemque cum senex esset, futura prospiciat, ac nolit permittere, ut se vivente Ecclesia pessum iret.* Nihil tamen acrius commovit

vit

vit Cæsarem, quam Veralli argumen-^{Sæcul. XVI.}
 tatio, ita urgentis: „Episcopi Bono-^{A.C. 1547.}
 „niam profecti, eo sua sponte perre-
 „xerunt; illi contra, qui Tridenti
 „substiterunt, nonnisi Cæsareæ Maje-
 „statis vestræ Imperio ibi retinentur;
 „idcirco hi, & non illi libertate carent:
 Porro ad id, quod in Epistola scriberetur,
 majorem Patribus securitatem Bononiae
 promitti, Carolus opposuit commotior:
 Pontifex nonnisi verba adhibet, sed ejus
 consilia a Deo evertentur. His verbis
 mortem Galliarum Regis indicabat
 Imperator, cum autem in iisdem literis
 diceretur, fuisse Romæ sæpius celebra-
 ta concilia, ipsumque Cæsarem invitari
 a Pontifice ad ea, quæ communi consilio
 statuenda forent, imperiose respondit;
 ibo Romam ad Concilium habendum,
 quando collibitum mihi fuerit.

Accepto hoc responso Papæ Nuntius
 discessit, Hispani autem Episcopi
 Tridenti adhuc agentes deliberarunt,
 an Synodicis conventus agere expediret;
 verum schisma veriti rem intactam
 reliquere, unice intenti, ut circa dogmata
 in proximis Sessionibus, si tamen
 Synodus continuaretur, pertractanda
 exactam haurirent cognitionem.

§. XL.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. XL.

*Episcopi a Papa Bononiam venire
rogati.*

*Pallav. l. 9.
c. 20. n. I.
& seq.*

Summus Pontifex cum vereretur, ne Synodum Bononiam transferendo propriæ suæ utilitati nimium consuluisse crederetur, eo quod præfata urbs ejus Imperio subdita esset, ab illo tempore, quo Julius II. Bentivolios inde expulerat, hinc die vigesima nona Martii diploma edidit, in quo justissimas, ob quas Synodum Bononiam transferre oportuit, causas exposuit, simulque Prælatos illuc accedere rogavit, ut Concilium continuari posset, quam in rem suo nomine omnem securitatem, commodum domicilium, plenamque, si vellent, inde redeundi libertatem, tranquillamque sedem ipsis eorumque famulis pollicitus est, dato insuper Legatis suis negotio, ut eos, qui antea Tridenti erant, quantocius ad reditum inducere, omnibus viribus niterentur. Horum monitis facile annuebant omnes illi, qui ob contagii metum jam antea discesserant, aut aliunde translationem ratam habebant, & non nisi ad hebdomadæ sanctæ officia in suis Ecclesiis celebranda vel alias ob causas ad Veneretæ Reipublicæ urbes recesserant. Hi
vero

vero, quos eorum Principes retinebant, Sæcul. XVI.
 Legatis non paruerunt, quos inter erant A.C. 1547.
 omnes Episcopi Cæsaris Imperio subdi-
 ti, necnon quidam Lusitanus, atque
 Agathensis Præsul, qui Ferrariæ mo-
 rabatur. Magis adhuc pertinaciter ob-
 luctabantur illi, qui adhucdum Triden-
 ti hærebant; quidam enim nequidem
 Legatorum Epistolæ respondere vole-
 bant, imo alii etiam illam aperire re-
 nuebant, nisi Mendozæ Cæsarei Ora-
 toris consensus accederet, qui post
 translata Synodum Roma excedens,
 jussu Domini sui Tridentum venerat,
 eo fine, ut hisce Episcopis prohiberet,
 ne urbe relicta Italos Præsules seque-
 rentur. Hos inter solus Galeatius Flo-
 rimundus Aquinatensis Episcopus Le-
 gatis acquieuit, ceterosque Patres Bo-
 noniæ agentes adiit, ibidemque prox-
 imæ Sessioni interfuit. Porro Theologi
 strenue examinandis quæstionibus de
 Eucharistiæ & Pœnitentiæ Sacramentis
 insudabant, Pontifex vero interim da-
 tis Literis hæc utrique Præsidi signifi-
 cavit: „ Synodi translationem ratam
 „ habemus, & nobis placet, quod di-
 „ latis dogmatum definitionibus unice
 „ emendationem morum procuretis:
 „ de cetero novus Rex Franciæ Henri-
 „ cus II. cum Ecclesiæ Gallicanæ li-
 „ bertates per Synodum labefactari per-
 „ time-

Sæcul. XVI. „ timefcit, illius translationi valde pro-
 A.C. 1547. „ penfus esse videtur; „ graviter tamen
 Concilii fufpentioni obluftabatur Cervi-
 nus Legatus, veritus, ne Germani Na-
 tionale Concilium convocandi occasio-
 nem inde captarent.

§. XLI.

*Papæ interdictum de Decreto in pro-
xima Seflione conficiendo.*

Pallav. c. 20. Paulo post fummus Pontifex, cum Bo-
num. 3. nonienfi Concilio nec Epifcopos,
 nec ullius Catholici extra Italiam Prin-
 cipis Oratores interefle cerneret, pro-
 in illud peculiaris magis, quam Oecu-
 menici Concilii fpeciem præferre per-
 timesceret, retardanda potius de-
 creta cenfuit, ut postmodum cum ma-
 jori folemnitate promulgari poffent. Id
 ergo Pontifex per nuntium Prælatiſ ſi-
 gnificari juſſit, præcepitque, ne inter-
 rim quicquam deciderent, fed duuta-
 xat Seflionem prorogarent.

§. XLII.

*Seflio nona Concilii Tridentini Bono-
niam translati.*

Diar. Conc. Itaque ex Pontificis mandato Seflio
Trid. M.S. nonnifi die vigefima prima Aprilis in
Arch. Vatic. Ecclefia S. Petronii celebrata eſt, ubi
p. 229. Seba-

Sebastianus Leccavella Naxiensis in Ar-
chipelago Episcopus ritu solemnem rem
divinam peregit, Ambrosius vero Ca-
tharinus ex Ordine S. Dominici Mino-
ricensis Episcopus sermonem ad Patres
habuit. Aderant huic Sessioni præter
Legatos sex Archiepiscopi ac triginta
duo Episcopi, necnon Abbas Cassinen-
sis, & quatuor supremi Ordinum Men-
dicantium Præpositi: Philippus vero
Archintus Salutiarum Præsul, necnon
Camillus Mantuatus Campagnensis in
Neapolis Regno Episcopus, cum mor-
bo præpedirentur, sua transmiserunt
suffragia. Denique precibus de more
per solutis Naxiensis Archiepiscopus con-
senso suggestu sequens perlegit Decre-
tum.

§. XLIII.

Decretum pro proroganda Sessione.

Hæc sacrosancta Oecumenica, & genera-
lis Synodus, quæ dudum in Civitate
Tridentina congregata erat, nunc Bono-
nia in Spiritu sancto legitime congregata,
præsidentibus in ea, nomine sanctissimi in
Christo Patris, & Domini nostri, Domini
Pauli, divina providentia tertii, eisdem Re-
verendissimis Dominis Dominis Joanne Ma-
ria, Episcopo Prænestino, de Monte, &
Marcello, tituli sanctæ Crucis in Jerusalem
Presbytero, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Car-
dinali.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.
A. C. Conc.
Bonon. MS.
Card. Franc.
Barbar. per
Mafferet.
pag. 6.

Labbe Conc.
coll. tom. 14.
p. 787.
Raynald. hoc
ann. n. 63.

Sæcul XVI. *dinalibus, & Apostolicis de latere Lega-*
 A.C. 1547. *tis, considerans, quod die undecima mensis*
Martii præsentis anni, in generali publica
Sessione in eadem Civitate Tridenti, & in
loco consueto celebrata, omnibusque agendis
de more peractis, ex causis tunc instantibus,
urgentibus, & legitimis, interveniente etiam
autoritate sanctæ Sedis Apostolicæ, eis-
dem Reverendissimis Præsentibus etiam spe-
cialiter concessa, decrevit, & ordinavit,
Concilium ex eo loco in hanc civitatem trans-
ferendum esse, sicuti transfudit; itemque
Sessionem pro præsentis die vigesima prima
Aprilis illic indictam, ut de Sacramento-
rum, & reformationis materiis, de quibus
tractandum proposuerat, Canones sancirentur,
& promulgarentur, in hac ipsa civi-
tate Bononiæ celebrari debere, considerans-
que nonnullos ex Patribus, qui in hoc Con-
cilio interesse consueverunt, his superioribus
majoris Hebdomadæ, & Solemnitatis Pascha-
lis diebus, in propriis Ecclesiis occupatos,
aliquos etiam aliis impedimentis detentos,
huc nondum accessisse, quos tamen brevi ad-
futuros sperandum est, ac propterea factum
esse, ut non ea, quam sancta Synodus desi-
derabat, Prælatorum frequentia potuerint
materiæ ipsæ Sacramentorum, & Refor-
mationis examinari & discuti, ut omnia
mature consilio, cum dignitate, & gravi-
tate debita fiant, bonum, opportunum, &
expediens censuit, censetque, Sessionem præ-
dictam

dictam, quæ hoc ipso die, ut præfertur celebranda erat, ad diem Jovis infra octavam Pentecostes proxime futuram, quoad ipsas materias expediendas, differendam, & prorogandam esse, quemadmodum differt, ac prorogat, quam diem, & rei gerendæ maxime opportunam, & Patribus præsertim absentibus percommendam judicavit, & judicat: hoc tamen adjecto, quod terminum ipsum, ipsa sancta Synodus pro ejus arbitrio & voluntate, sicuti rebus Concilii putaverit expedire, etiam in privata Congregatione restringere, & imminuere possit, & valeat.

§. XLIV.

Saxonice Elector a Cæsare profligatus, captusque.

Eodem mense, quo nona hæc Sessio habebatur, Carolus V. Imperator exercitum suum Albim trajicere jussit, ut Saxonice Electorem, qui de urbe urbem profugerat, tandem assequeretur, nec irritus erat Cæsaris conatus; quippe in Electorem repentino impetu irruit, cum hic hostem adhuc longe distantem crederet: quapropter, quamvis valido milite cinctus, atque aliunde animo intrepidus esset, nihilominus, cum suos in aciem collocandi spatium ei præriperetur, ac Cæsaris copiæ rara fortitudinis

Sæcul. XVI.
A.C 1547.

Thuan. hist.

l. 4 n. 3.

Sleid l. 19.

p. 664.

Ant. de Vera

hist de Char-

les p. 257.

Sæcul. XVI. tudinis suæ specimina ederent, mox
A.C. 1547. totus Saxonicus exercitus turbatis or-
 dinibus in fugam actus est, atque ipse-
 met Elector unacum Ernesto Brunsvi-
 censi Duce captus ad Cæsarem fuit ab-
 ductus. Reportata est hæc victoria die
 vigesima quarta Aprilis anno Domini
 millesimo quingentesimo quadagesimo
 septimo. Vehebatur tum Elector equo
 Frisio, Cæsaris vero conspectum subiens
 equo descendere, ac chirothecam exu-
 ere voluit, ut more gentis dexteram Vi-
 ctoris oscularetur, id tamen non Impera-
 tor permisit, eo quod Saxo vulneratus es-
 set; unde pileum detrahens inclinato cor-
 pore perdemisse Cæsarem salutavit hæc
 pronuntians verba: *Quoniam ita fortuna
 tulit, ecce, me tibi clementissime & poten-
 tissime Cæsar, captivum sisto, ut custodiam
 mihi ponas Principe dignam, oro.* Ad
 hæc, ut referunt Historici, Cæsar re-
 posuit; *Ergone tibi nunc ego Cæsar, quem
 tamen nuper in sermonibus vestris, & pub-
 licis scriptis non nisi Carolum Gandensem,
 & quandoque duntaxat se pro Cæsare ge-
 rentem vocabatis? te pro merito tuo acci-
 piam.* His dictis Saxoniae Elector,
 & Brunsvicensium Dux Alphonso
 Vives Hispanorum militum Tribuno cu-
 stodiendi tradebantur, a quo ad secu-
 rum locum prope Albin deducti sunt,
 usque

usque ad nova Cæsaris mandata ibidem Sec. XVI.
A.C. 1547.
detinendi.

§. XLV.

Wittemberga a Cæsare cincta.

Reportata hac victoria Carolus Imperator Wittembergam contendit, quo Thou. hist. lib. 4.
Joannes Fridericus natus major Electoris Filius cum pluribus aliis confugerat. Vix Cæsar exercitum suum urbi admoverat, cum deditioem fieri postulare, urbis autem Gubernatore eam denegante Imperator civitatem undique copiis cingi præcepit, atque tam arcte inclusam tenuit, ut omne cum exteris commercium incolis esset interdictum: cum tamen Imperator obsidionem longius protrahi prospiceret, ipse vero rem brevi ad extrema deduci peroptaret, hinc Saxonix Electorem morti adjudicare statuit, qua severitate Sibilla Saxonis conjux, ejusque liberi admodum perterriti, Cæsaris clementiam implorarunt, urbemque dederunt.

§. XLVI.

Saxonix Elector a Cæsare capite damnatus.

Convocato igitur belli senatu, cunctisque Cæsaris judicio aquiescentibus Thou. Sleid. l. c.

Sæc XVI.
A.C. 1547.

tibus die octava seu duodecima Maji in Saxonix Electorem mortis sententia his verbis fuit pronuntiata: „ Nos Dei gratia „ Carolus Imperator &c. mandavimus, „ & mandamus, ut Joannes Fridericus „ antehac Saxonix Elector ob Feloniæ, „ ac rebellionis crimen capite plecta- „ tur, secundum poenam in proscription- „ nis contra eum latæ literis conten- „ tam, quam ipse incurrens promeri- „ tus est, unde ejus supplicium cun- „ ctis impiis terrori sit. „ Ea- „ dem die hora tertia pomeridiana u- „ nus, qui bellico Senatui a secretis erat, hanc sententiam capto Electorri, qui in suo tentorio cum Alberto Brunsvicensi Duce sedebat, denuntiavit, eidem declarans, hanc sententiam altera die effectui dandam.

Hujus sententiæ lectionem Elector animo aut vultu nil turbatus exceperit, sed sereno ore Senatus Ministrum intuens: *Quid tum, inquit, si Wittembergæ non tradita me mori oportet? hæc enim, non vita mea petitur. Ceterum nihil hæc me terrent; utinam nec terrent conjugem, item & liberos & amicos meos, quibus a calamitate mea majus periculum, quam mihi imminet: nam quicquid propter me hosti dabitur, illis peribit, nec mihi proderit: quorsum enim accessio paucorum dierum jam effeto seni, neque diu victuro? itaque si*
optio

*optio detur, malim re liberis salva quam pri-
mum mori, quam diu illis spoliatis vivere, neque tamen prohibeo, quin pietati aliquid condonent, Et sibi satisfaciant, ita ut dum mei rationem habent, non omnino salutis suae obliviscantur.*

Hæc effatus Ephebum suum accersens tabulam lusoriam afferri jussit, moxque Brunvicensem Ducem, ut secum latrunculis luderet, invitavit, summamque lætitiâ exhibuit, dum bina lusione victor evaserat.

§. XLVII.

Vitæ venia capto Saxoni ab Electore Brandeburgico impetrata.

Paulo post Sybilla Ducissa Joachimum Electorem Brandeburgicum, qui tum nonnisi mediæ diei itinere Wittembergæ distabat, de mortis sententia in suum Maritum lata certiore fecit, quapropter is quantocius unacum Ernesto, Cliviensi Duce, aliisque ad Cæsaris castra convolabat. Hi ergo Principes toto quadriduo a Cæsaris tentorio ad capti Electoris cubile hinc inde cursitabant, ut quovis pacto reum Cæsari conciliarent, tandem post summas preces Carolus V. remissa mortis pœna in has condiciones cum Saxone convenit. I.

Electoralis dignitati tam suo, quam libero-

Z 4

rum

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

Sleidan. l. c.
Thou. ibid.
Heiff. hist. de
l' Empire t.
I, l. 3. p. 388.

Sæcul. XVI. liberorum nomine renuntiet, jusque sit Cæsari, pro arbitrato suo de ea statuere. II. Wittembergam & Gotham alterum ditionis propugnaculum Cæsari tradat, relictis in ea tormentis, & cibariorum tertia parte, reliquam tamen omnem supellectilem, & annonam secum auferat, permessa præsidariis libera abitione, sed sine armis. III. Albertum Brandeburgicum, & Christophorum Liechtenbergæ Landgravium sine mulieribus liberos dimittat, & signa adempta, ac tormenta reddat. IV. Vicissim Brunsvicus ejusque filius a Cæsare dimittantur. V. Mansfeldiis & Solmensibus Comitibus, ac Prussiæ Magistro ceterisque Ecclesiasticis per vim ablata Fridericus restituat. VI. Cameræ Imperiali a Cæsare instituendæ parere, & sumptus in eam subministrare, deque jure, quod contra Lubecenses & Halenses sibi esse dicit, Cæsaris Decreto stare promittat. VII. A sædere cum Magdeburgicis, Hallensibus, & Halberstadensibus, atque omni alio contra Cæsarem & Ferdinandum inito discedat, nec ullum deinceps faciat, quo non ipsi cum suis Provinciis, & Sociis comprehendantur. VIII. consentiat item, ut Henricus Brunsvicus, & Carolus Victor filius liberentur, nec ullam adversus eos actionem moveat. IX. ita publicata Saxonis bona, eaque a Cæsare Fratri Ferdinando, & Mauritio donata sint, sic ut Saxoni ejusque liberis quinquaginta aureorum millia annua Mauritius depen-

dependat, & Gothæ oppidum, si Cæsari ^{Sæcul. XVI.}
videatur, & per Mauritium liceat, una- A.C. 1547.
cum omni usufructu retineat Saxo, arcis
munitione ab eo demolienda, nec citra Cæ-
saris voluntatem deinceps instauranda.

His tandem promissis, ac conditio-
nibus initis, Imperator pollicitus est,
quod clementiam suam Electori impen-
dere, ac concessa vitæ venia eundem a
pœna eidem denunciata, & a pœnis
corpore luendis absolvere velit, ea ta-
men lege, ut in Cæsaris aut Philippi
ejus filii ac Hispaniarum Principis cu-
stodia permaneat, ceterasque omnes
hujus concordix condiciones integra fi-
de adimpleat, necnon vi hujus pacti
Wittembergensem Urbem Cæsaris pote-
stati tradat, postquam Sybilla Clivien-
sis Ducissa, captique conjux, necnon e-
jus filius natus major unacum Mariti sui
fratre, ac præfidiario milite excessissent,
Subscripserat ipsemet Joannes Frideri-
cus hisce pactis die decima octava Ma-
ji. Porro inter alias hasce condiciones
ab initio erat hæc præscripta, vi cujus
Electo, quicquid Concilium, aut Cæ-
sar circa Religionem decernerent, ipse
approbaret: cum vero nulla ratione,
ac nequidem minis ad id induci posset,
Cæsar hunc articulum deleri jussit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. XLVIII.

*Ducatus Wittembergensis Mauritio
Duci assertus.*

Tou. ib.
Sleid. l. 19.
p. 668.
Belcar. ib.
n. 39.

Triduo post Ernestus Dux Electoris frater, ejusque filii, unacum Consiliariis Wittembergæ egressi sunt, captus vero Elector præfidiariis, qui ad tria peditum millia præter ducentos equites ascendebant, militiæ sacramentum remisit, eosque triduo nondum evoluta urbe excedere jussit. Ergo die nona Maji tria Germanorum peditum signa ductore Nicolao Madrutio introducuntur, eadem vero die Electoris uxor unacum Catharina Ernesti Ducis conjugæ Cæsarem suppliciter adiit, multisque precibus, ac lacrimis eundem rogavit, ut Electori reliquos vitæ suæ dies cum illa transigere licet; ambos enim a Deo mutua societate ita conjunctos agebat, ut nec in vita, nec in morte invicem separarentur. Ad hæc Cæsar admodum vehementer eidem Electoris crimina exprobrabat(*), eumque multis nomi-

(*) De hac Cæsaris objurgatione nec Thuanus, nec Sleidanus, quos Continuator citat, mentionem faciunt, sed potius Imperatoris clementiam deprædicant, Thuanus enim l. c. ait:

Saxo-

minibus mortis supplicium fuisse prome- Sæc. XVI.
A.C. 1547.
ritum affirmans subjunxit: „ Per me
„ quidem liceat tibi, Maritum tuum
„ sequi,

*Saxonis uxor victoris pedibus aduoluta, mox a
Cæsare erigitur, perhumaniterque audita, &
honorificentissime accepta est, & multis cum la-
chrymis pro libertate viri Cæsarem deprecata hoc
responsum tulit, in ipsius gratiam mortis pœnam,
inquam incurrerat, Saxoni remittam; Porro ea,
quæ conuenerint, seruari oportere, neque se pos-
se per temporum rationem illum liberum dimit-
tere; per se quidem licere, ut maritum capti-
uum sequi possit. Interim ultro Saxoni per-
missum, ut per octo dies in urbe cum uxore &
liberis commoraretur.*

*Sleidanus vero hæc habet: Saxonis uxor
supplex facta Cæsarem cum multis lacrimis de-
precatur pro conjugè: Cæsar eam perhumaniter
accipit, & confirmat, deinde Saxoni permittit,
ut oppidum ingressus per dies octo cum uxore,
& liberis commoretur.*

Inde igitur colligitur auersus Continuatoris
animus erga Augustissimam Domum Austriacam,
quam, præcipue vero gloriosissimum Cæsarem
Carolus immensis laudibus merito celebrare
debuisset, eo quod Ecclesiæ hostes reportatis
multis victoriis, quas tamen Continuator vix
verbo tangit, adeo feliciter debellarit, ut tunc, nisi
ab ipsis quibusdam Catholicis Principibus au-
xilia accepissent, certo certius hæresis extincta
fuisset.

Sæcul. XVI. „ sequi, neque tamen illum liberum
A.C. 1547. „ dimittam, ejusque societate in Sa-
 „ xoniæ urbibus illi relictis frui, ob
 „ temporum rationem tibi concedam. „
 Cum ergo Sibilla haud amplius a Cæ-
 sare impetrare possit, ad Maritum su-
 um contendit, eum consolatura, inde
 vero Wittembergam rediit, ut Cæsa-
 rem, qui die vigesima sexta Maji ur-
 bem ingrediebatur, exciperet: verum
 Imperator ipsemet Electricem officiosa
 salutatione prævenit, eamque perbeni-
 gne habuit, quæ paucis post diebus
 convalescit omnibus Wittembergæ ex-
 cessit, incolis abeuntem multis lacri-
 mis prosequentibus: mox vero die sex-
 ta Junii Mauritius urbem ingressus, re-
 cta ad arcem contendit, ac convocatis
 Consulibus urbisque Senatu, altera die
 eos fidei Sacramento sibi adstringit, nil-
 que eorum prætermittit, quibus eorum
 animos sibi conciliare possit; hinc eo-
 rum privilegia, veteresque immunita-
 tes confirmavit, Universitatem restau-
 rare promisit, ac rusticos quoque, qui
 antea aufugerant revocavit, eisque ad
 ædificandum necessaria, simulque fru-
 mentum ad serendum, & quidem pau-
 peribus sine pretio erogari jussit: ut ve-
 ro Cæsari gratificaretur, in Norimber-
 gensis Episcopatus possessionem Julium
 Pflugium a Joanne Friderico Electore
 ante

ante sexennium inde eiectionem restituit, Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 expulso Nicolao Amstorfio, qui a Lu-
 thero inauguratus erat. Sub idem tem-
 pus Fridericus Brandenburgici Electoris
 filius, tanquam Coadjutor dabatur Mag-
 deburgico Archiepiscopo, qui anno su-
 periore cum Joanne Friderico Electore
 transegerat, eique totam ditionem su-
 am ringente licet Capitulo, cesserat.
 Porro ob victoriam a Carolo Cæsare re-
 portatam Romæ solemnes omnium or-
 dinum instructo agmine procedentium
 Deo gratiæ agebantur, ac præcipue
 Paulus III. summus Pontifex summa læ-
 titia affectus præter anni sacri solemnia
 antea ad hæresis extirpationem conces-
 sa, novum Jubilæum promulgari iussit,
 ut ob gloriosos, quos Cæsar de hæreti-
 cis retulit, triumphos debitæ Deo gra-
 tes rependerentur.

§. XLIX.

*Consilium de Inquisitionis tribunali
 Neapoli erigendo.*

Cum Imperator adhucdum Wittem-
 bergæ hæreret, a Petro Toletano
 Neapolis Prorege Nuntium accepit,
 quod in eadem urbe seditio esset mota
 occasione exinde quæsitæ, quod is ibi-
 dem Inquisitionem introducere molire-
 tur. Equidem jam a longo tempore
 Im-

Thou. hist.
 vers. fin. l. 2.
 Sarpi l. 3. p.
 253.
 Ant. de Vera
 hist. Caro. V.
 p. 267.

Sæcul. XVI Imperator a Paulo III. summo Pontifice fuerat sollicitatus, ut in hoc Regno ad sistendos hæresis progressus hoc tribunal erigeret; verum semper hucusque id exequi renuebat, tandem autem a Farnesio Pontificis Nepote tam vehementer urgebatur, ut ejus precibus cederet, datisque hanc in rem literis Proregi mandaret, quatenus in Neapolis Regnum unacum Reginaldo Farnesio præfatæ urbis Archiepiscopo Inquisitionem inueheret. Toletanus collatis cum eodem Archipræsule consiliis convenit, ut is quodam die festo Pontificis diploma de gravi Inquisitionem stabiliendi necessitate editum in Ecclesia promulgaret, quin tunc ad ulteriora procederetur, sed unice caperetur experimentum, an populus hanc rem æquo ferret animo. Ergo die tertia Aprilis, inquam Dominica Palmarum incidit, hora matutina Papæ Decretum promulgatur: cum autem populus sacræ hebdomadæ ritibus magis intentus diplomatæ feriem minus attente perpenderet, Prorex æque, ac Archiepiscopus rem tuto urgeri, atque hoc tribunal juxta consuetas leges erigi posse sibi persuadebant; quocirca Toletanus ad campanæ sonum Senatum Regium, atque sex Deputatos ex singulis quinque præcipuis Regni urbibus præter populi

Primo

Primores ad Ecclesiam Cathedralē ^{Sæcul. XVI.}
convocari iussit. ^{A.C. 1547.}

Itaque ipse hunc Conventum accedens hæc exposuit: „ Cæsaris æque, ac
„ Pontificis voluntas est, ut sacri Offi-
„ cii tribunal, utpote ad avertendam
„ hæresis pestem oppido necessarium
„ erigeretur. „ Percepta hac propo-
sitione Senatus primo in secretas indi-
gnationes prorumpens hac super re de-
liberandum respondit: Altera vero die
ad Proregem duodecim Deputatos ab-
legabat, qui eidem declararent, quod
urbs hoc tribunal institui recusaret, cum
præter hoc, quod nudum illius nomen
horrorem instillaret, illud equidem in
hæreticorum Provinciis, non autem in
Regno, ubi sola Religio Catholica vi-
get, utiliter erigi posset. Verum insu-
perhabitis hisce rationibus Prorex jun-
cta cum Archiepiscopo opera matutino
tempore die quarta Maji edictum pro-
mulgari iussit, vi cuius sacræ Inquisi-
tionis Curia deinceps in Archiepisco-
pali Palatio collocanda denuntiabatur.
His peractis præfatum edictum in val-
vis Ecclesiæ Cathedralis fuit affixum.

§. L.

Seditio inde exorta.

Vix hoc edictum conspiciebatur affi-
xum

Sæcul. XVI. xum, cum illico urbs tota in feditionem erumperet, ac præcipue Thomas Agnellus vir infimo loco Surrenti natus innumera pene populi multitudine circumctus ad Ecclesiam Cathedralē cursitaret, ac edictum dilaceraret, ut nil propius esse videretur, quam quod ipsum etiam Archiepiscopale Palatium exspoliaret. Nil equidem intentatum reliquit Prorex, ut populi tumultus sedaret. Ast feditiosi se nunquam arma posituros declarabant, nisi Inquisitionis tribunal aboleretur. Ad hæc Prorex convocatis viginti novem Regionum Primoribus, furentes placare studuit, eisque datis literis proprio suo chirographo munitis nullam ultra de hac Curia mentionem fieri promisit. Percepta hac voce per solidos tres dies accensis festivis ignibus populus lætitiā celebravit, moxque Salernitanus Princeps unacum Placido Sangrio Viro admodum Nobili ad Cæsarem fuit ablegatus, ægre id ferente Prorege, cum infensissimus Salernitani hostis esset: Porro cum duo adolescentes quosdam Proregis amicos primo convitiis, ac demum lapidibus incesserent, ac Prorex legum severitate horum petulantiam coercere vellet, mox die vigesima quinta Maji feditio recrudit, & plateis præsidiario milite obsessis omnis populus totam noctem

ctem armatus absumpsit. Tandem pro-
 ficua Bissiniani Principis, ejusque Fra-
 tris Episcopi opera cum Prorege con-
 ventum est, ea lege, ut concessa præ-
 teritæ seditionis oblivione nil amplius
 innovaretur, donec tam urbium, quam
 Proregis Deputati a Cæsaris aula rever-
 si fuerint. Ex his prior, quem Prorex
 ablegaverat, Carolum V. accessit, plu-
 raque adversus incolas tanta rationum
 vi exposuit, ut urbium Deputati ab al-
 loquio excluderentur, Cæsar vero in
 rebelles severa promulgaret edicta. Ni-
 hilominus Sangrius, qui & ipse ex De-
 putatorum numero erat, impense Cæ-
 sarem rogabat, ut tandem ad alloqui-
 um admitteretur, minus tamen prospe-
 ro successu; quippe eo unacum itine-
 ris sui socio Neapolin reverso seditio ma-
 jori, quam antea impetu recrudescente
 cæperat, ubi nil propius erat, quam
 ut in ipsos etiam Nobiles arma conver-
 terentur, nisi Caracciolus, cujus apud
 populum ingens gratia, atque auctori-
 tas erat, civium furorem sedasset, pro-
 posita Æsopica Lupi, oviumque fabula.

§. LI.

*Præteritorum oblivio a Cæsare con-
 cessa, ac seditio extincta.*

Cum Imperator vereretur, ne Neapo-
 litani Gallos in auxilium vocarent,
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. A a seque

Sæcul. XVI.

A C. 1547.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

seque Henrici II. præsidio committerent, tandem sacræ Inquisitionis tribunal aboleri consensit (*), cunctisque incolis veniam concessit, paucis exceptis, quos figillatim nominavit. Promulgata hæc Inquisitionis abrogatione (**), seditionum multitudo mox est dissipata, ac quivis ad sua se recepit, necnon integro triduo Cives unice armis suis Proregi in arce consignandis intenti erant, postero autem die viginti quatuor Deputati, urbisque Primores Proregem adeuntes, eidem obedientiæ pensum exsolverunt. Hos, quamvis eis minus esset propensus, perbenigne excepit,

(*) Hujus Tribunalis abrogationem de suo intrusit Continuator, ut hanc seditionem non modo exinde exortam, sed etiam unice abolito hoc Tribunali extinctam falso comprobaret, cum tamen altera hæc rebellio ex causis longe diversis fuerit enata, ut referunt Thuanus & Sarpus cum aliis, qui de hac pacis conditione nullam omnino mentionem faciunt. At Continuatori nil antiquius est, quam ubi sermo incidit de iis rebus, quas ipse sugillare intendit, pro arbitrio suo ex Historicis demere, addere, eosque depravare.

(**) Thuanus inquit: quod ad Caraccioli Orationem, in qua tamen nulla Inquisitionis mentio est facta, Cæsari fides, ac civibus quies fuerit reddita.

exceptit, quinimo eisdem etiam pollicitus est, quod populi studium, quo rursus ad Cæsaris obsequium redierat, commendaturus esset. Primo equidem a concessæ veniæ gratia centum Viri excipiebantur, postea tamen eorum numerus redigebatur ad viginti quatuor, quinimo iidem etiam aliquot post annis omnes bonis suis restituti fuerunt, exceptis Caracciolo, Mormillio, & Suessano. Præterea tam ingens erat Cæsaris clementia, ut etiam centies mille aureorum multam civitati impositam remitteret, ac Proregi suam dignitatem semper assereret.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. LII.

Sessio X. Concilii Bononiensis.

Interea die secunda Junii servatis de Lab. Collect.
more solemnibus celebrata est hujus Conc. t. 14.
Synodi Sessio decima, rem divinam p. 789.
peragente Olao Magno Upsalensi Ar- Pall. c. 2. n. 5.
chiepiscopo. Aderant præter duos O- Spond. hoc
ratores sex Archiepiscopi, triginta sex ann. n. 5.
Præfules, necnon Abbas ad SS. Trinitatem in Cajeta præter supremos Fratrum Minorum, ac Servorum Præfectos: Duo autem Episcopi morbo detenti sua transmiserunt suffragia: de cetero ibidem nihil aliud actum, nisi quod Sessio fuerit prorogata, promulgato hanc

A a 2

in

Sæcul. XVI. in rem Decreto, quod priori haud ab-
 A.C. 1547. simile his conceptum erat verbis:

Quamvis hæc sacrosancta Oecumenica,
 & generalis Synodus Sessionem, quæ die
 vigesima prima mensis Aprilis proxime præ-
 teriti, super Sacramentorum, & Reforma-
 tionis materiis in hac inclita civitate Bono-
 niæ, ex decreto in urbe Tridentina in pub-
 lica Sessione die undecima mensis Martii
 promulgato, celebranda erat, propter ali-
 quas causas, ac præsertim propter absen-
 tiam nonnullorum Patrum, quos brevi ad-
 futuros sperabat, ad hunc præsentem diem
 differendam & prorogandam esse decrevit,
 volens tamen cum his, qui non venerunt,
 etiam adhuc benigne agere, eadem sacrosan-
 cta Synodus in Spiritu sancto legitime con-
 gregata, præsidentibus in eisdem sanctæ Ro-
 manæ Ecclesiæ Cardinalibus, & Apostoli-
 cæ Sedis Legatis, statuit, & decernit, Ses-
 sionem ipsam, quam hac die secunda mensis
 Junii præsentis anni millesimi quingentesimi
 quadragesimi septimi celebrare decreverat,
 ad diem Jovis post Festum Nativitatis bea-
 tæ Mariæ Virginis, quæ erit decima quin-
 ta mensis Septembris proxime futuri, quoad
 prædictas, & alias materias expediendas,
 differendam, & prorogandam esse, quem-
 admodum differt, & prorogat, ita tamen,
 ut prosecutio discussionis, & examina-
 tionis eorum, quæ tam ad Dogmata, quam
 ad reformationem pertinent, interim non
 omitta-

omittatur, & terminum ipsum, ipsa san-
 cta Synodus pro ejus libitu & voluntate, A.C. 1547.
 etiam in privata Congregatione, abbrevia-
 re & prorogare libere possit, & valeat.

§. LIII.

*Synodi mandatum de sanctorum Pa-
 trum operibus in patrium idioma
 transferendis.*

Quamvis nec in hac, nec in priori
 Sessione, quæ duæ duntaxat Bo-
 noniæ fuerunt habitæ, de dogmatum
 articulis quicquam ageretur, nihilomi-
 nus ibidem fuit decretum, ut Ecclesiæ
 Patrum, ac antiquorum Doctorum ser-
 mones in patrium idioma verterentur,
 cumque ejusmodi labor perutilis cense-
 retur, hinc Galeatio Florimundo Sues-
 sano Episcopo hæc Provincia fuit de-
 mandata, unde ex ejus calamo Vene-
 tis literis anno millesimo quingentesi-
 mo quinquagesimo sexto, ac itidem o-
 ctavo post anno excusi prodierunt sancti
 Augustini, Joannis Chrysoftomi, Ba-
 filii, aliorumque Ecclesiæ Patrum ser-
 mones in linguam Italicam translati,
 ac duobus voluminibus in quadrantibus
 foliis editi. In primo hoc volumine le-
 gitur Florimundi Epistola ad Cardina-
 lem Marcellum Cervinum scripta, ex

*Fontanini
 della eloquen-
 za Italiana
 in 4. p. 144.*

Sæcul. XVI
A.C. 1547
 fingulare hoc factum addiscimus, cu-
 jus apud nullos Tridentini Concilii Hi-
 storicos mentio occurrit. Porro labo-
 rem a Galeatio Florimundo susceptum
 profecuti sunt Raphael Castruccijs &
 Seraphicus, ambo natione Florentini,
 ac Ordinis S. Benedicti Alumni, qui
 alios SS. Patrum sermones Italice red-
 diderunt, prostantque illi in eadem E-
 trurixæ urbe Anno Domini millesimo
 quingentesimo septuagesimo secundo in
 duobus volumibus ejusdem formæ ty-
 pis impressi.

§. LIV.

*Plurium adventus ad Bononiensem
 Synodum.*

Fallav 1. 10.
6. 2. n. 6. Absoluta hac Sessione Bononiam ve-
 nit percelebris Theologus Ambro-
 sius Pelargus Ordinis S. Dominici Re-
 religiosus, cujus supra meminimus: nec
 minus paulo post Labacensis in Austria
 Episcopus eandem urbem ingressus est,
 Patrum sententias rogaturus circa se-
 ptem articulos, de quibus in Carniola-
 na Provincia erat disceptatum. Atta-
 men magis adhuc Patrum lætitia excre-
 vit per adventum illius, qui Dandino
 in Galliis Nuntio a secretis erat; cum
 enim summus Pontifex Hieronymum
 Capiteferreum sancti Georgii Cardina-
 lem

IV. lem tanquam Sedis Apostolicæ Lega-
 tu-
 cu- tum in Franciam decrevisset, eo fine, Sæcul. XVI.
 Hi- ut Henricum II. Galliarum Regem ad A.C. 1547.
 abo- agnoscendam Bononiensem Synodum
 tum induceret, idem Legatus juncta cum
 s & Nuntio opera istius Secretarium Ro-
 tini, mam deputabat, qui, cum Bononiam
 qui pertransiret, Patribus hæc nuntiavit:
 red- *Galliarum Rex Synodo valde propensus esse*
 in E- *videtur, jamque tredecim insignes Episco-*
 o in *pos ad Bononiense Concilium destinavit;*
 ty- *idem quoque clare professus est, a se illud*
 acceptum, ac defensum iri, promissa in ma-
 trimonium Horatio Farnesio Duci, & O-
 ctavii Fratri, Diana Filia ipsius Regis no-
 tha: quod conjugium a Pontifice antea quæ-
 situm, ut suspicionem amoveret a Gallo,
 propter Octavii cum Carolo conjunctionem,
 tum libenter confectum est, ut inde Cæsar
 intelligeret, non defutura Pontifici præsidia,
 si ab illo aut desereretur, aut premeretur.

§. LV.

Cardinales Galli Romam missi.

Sub idem tempus plures Cardinales in *De Thou l. 3.*
 Galliis hærebant, quorum alii va- *Belca. comm.*
 riis studiis ad hoc Regnum pellecti, non- *l. 25. n. 4.*
 nulli tamen solo in aula versandi desi- *p. 795.*
 derio incitati ibidem moram trahebant, *Sleid. com.*
 ex his erant isti duodecim, scilicet Lu- *l. 19. p. 677.*
 dovicus Borbonius, Joannes Lotharin-

A a 4

gius,

Sæcul. XVI
 A C 1547. gius, Odetus de Coligny Castillionæus,
 Claudius Giurius, Joannes Bella-
 ius, Philippus Bononiensis, Joannes
 Venator, Antonius Sanguin Medonen-
 sis, Robertus Lenoncurtius, Jacobus
 de Annebaldo, Georgius de Ambasia,
 & Georgius Armaniacus: cum ergo
 horum præsentia Ministris, qui sub no-
 vo Rege Henrico II. nonnisi viginti no-
 vem annos nato regimen tenebant, o-
 ptatam disponendi libertatem restrin-
 geret, hinc illi ex hisce Cardinalibus
 quosdam ab aula dimovere nitebantur,
 atque in breve temporis spatium horum
 septem Romam reverti compellebant,
 quæsito hujus nequitix obtentu, quod
 summo Pontifici aliunde Gallis fat pro-
 penso consultum foret, ut ipsum in piis
 hisce erga Franciam consiliis præsentis
 foverent, ejusque affectum augere sa-
 tagerent, Gallorumque factionem au-
 ctoritate sua tantopere firmarent, ut
 novus Papa non minus Gallis addictus
 eligi posset, si forte Paulus III. jamjam
 ferme octogenarius vita decederet. Has
 rationes, quæ tamen nonnisi vani Gal-
 lorum erant prætextus, summus Ponti-
 fex tanquam sincera signa, ac minime
 dubia habuit testimonia illius amicitix,
 atque obsequii, quo Galliarum Rex Se-
 di Apostolicæ favebat, quapropter gra-
 tum vicissim animum exhibere studiosus,
 die

die vigesima Julii Carolo Vindocinensi ^{Sæcul. XVI.}
Regii sanguinis Principi, necnon Ca- A.C.1547.
rolo Guisio Rhemensi Archiepiscopo,
qui ambo Præsules natione Galli erant,
rubrum galerum transmisit.

§. LVI.

*Henrici II. edictum in Religionis
favorem.*

Sub idem tempus Henricus II. plura
magni momenti edicta promulgari
jussit, quæ pro præsentis temporum vi-
cissitudine tum ad varias corruptelas tan-
dem eliminandas, tum ad plura mala
Ecclesiæ, Regnoque progressu tempo-
ris valde noxia sedulo præcavenda ex
se ipsis oppido necessaria erant. In
horum primo vehementer contra Blas-
phemos, ac sicarios insurgens Fran-
ciæ Satellitum Tribunis præcepit, ut
in horum criminum reos, denegata
etiam appellandi copia inquirerent.
Præterea alio edicto prisca statu-
ta contra vestium luxum innovavit:
Tertio autem pauperum necessitati pro-
spexit, ac urbis Præfectis præcepit,
ut magis robustos, sanosque mendicos
ad publicos labores compellerent, ce-
teros vero quibusdam morbis debilita-
tos, atque ad laborandum minus ido-
neos ad Xenodochia ibidem alendos

Sæcul. XVI. amandarent, cunctisque publice mendicato vivere interdicerent. Ad hujus edicti promulgationem Rex ex eo inducebatur, quod Parisiensibus, ut sese a Mendicorum importunitate liberarent, pro cujuslibet facultate quædam pecuniarum summa in pauperes eroganda fuisset imposta, verum hac sanctione adeo non querendi ratio erat sublata, ut hujus subsidii spes ex cunctis Regni Provinciis ad hanc Metropolin homines propemodum infinitos alliceret, quorum haud aliud erat vitæ genus, quam e mendicitate quæstum facere, præcipue cum omnes Ecclesiæ, ac Monasteria designatis quibusdam diebus, aut pecunias, aut cibaria pro Eleemosynis publice distribuere adstringerentur; hac enim liberalitate pellekti pauperes opifices laborandi curam neglexerunt, unde insuper fuit statutum, ut hæ pecuniæ ac cibi juxta prudens Parochorum æque, ac Ædituorum judicium ægrotis, ac debilibus, qui urbi magis vicini essent, distribuarentur: Verum providum hoc Regis edictum minus accurate effectui datum exiguo admodum tempore viguit. Tandem etiam Rex libros vel ex Germania, vel aliis locis de hæresi suspectis in Regnum in vectos typis vulgari prohibuit, nisi prius

prius a Parisina Facultate Theologica Sæcul. XVI.
A.C. 1547.
approbarentur.

§. LVII.

*Cardinalis S. Georgii in Franciam
ablegatus.*

Cum interea Rex quamdam sollicitu- Thuan. l. 3.
n. 3. in fin.
dinis suæ partem condendis ejus-
modi statutis dicaret, Cardinalem S.
Georgii Legatum a Papa missum exce-
pit; hujus enim Legationis opportuni-
tate Paulus III. utebatur, ut cum Gal-
lis foedus ad propulsanda invadentium
arma iniret, ac speciatim de Diana
spuria Regis filia tum novem annos nata
atque Horatio Farnesio Pontificis Ne-
poti desponsata grates rependeret. Hæc
connubii promissa Rex quidem rata ha-
buit, armorum tamen societatem a Pa-
pa petitam inire cunctabatur, eo quod
sub primis Regni sui auspiciis, ac nec-
dum cognitæ potentia suæ viribus Cæ-
sari offensionis causam præbere haud
vellet, quamvis Parisios redux præ-
fatum foedus cum Papa percussisset,
ac Pontificis mandata Legato data, nec-
non legationis illius diplomata in Pa-
risiensis Curia acta referri jussisset; nam
hæc solemnia in Galliis requiruntur,
sine quibus Legati non admittuntur,
admissi vero omnibus Legationis suæ
præ-

Sæcul. XVI. prærogativis, quæ Ecclesiæ Gallicanæ
 A.C. 1547 libertatibus adversantur, se abdicare
 tenentur. Ceterum hac in re Parisien-
 sis Curia easdem adhibuit condiciones,
 quas antea, cum Alexandri Farnesii, &
 Sadoleti Cardinalium mandata confir-
 maret, adjunxerat, illæque plura con-
 tinebant capita, quorum præcipua sunt,
 prout sequuntur.

§. LVIII.

*Legatorum Pontificiorum diplomata a
 Parlamento variis modis restricta.*

*I. Vi horum mandatorum Legatus nullam
 Jurisdictionem in Regis subditos,
 ne ipsis quidem consentientibus exerceat. II.
 Natalium restitutionis beneficium spuris non
 impertiatur, nisi ut ad sacros Ordines ad-
 mitti, & beneficia obtinere possint. III.
 Nullam beneficiorum unionem sanciat, nec
 iis, qui ob gradus prærogativam ad ea per
 nominationem jus habent, gratiam faciat.
 IV. Nulla pensione beneficia, etiam consen-
 tientibus possessoribus, oneret, nisi in utili-
 tatem eorum, qui ea resignant, aut litis
 componendæ gratia id fiat. V. Nulli Ab-
 batias, vel Prioratus utriusque sexus ad
 dies vitæ, aut ad tempus cum titulo attri-
 buat, aut commendet citra Regis nomina-
 tionem juxta pacta a Leone X. inita. VI.
 Nec Beneficiorum vacantium gratiam ulli
 faciat*

Thou. l. c.

faciat in indulti a Papa Parisiensis Senatus Sæcul. XVI.
Assessoribus concessi præjudicium. VII. A.C. 1547.
Nullam inter Regis subditos jurisdictionem
exerceat circa conjugatorum separationem,
usuras, restitutiones, vel alia crimina. VIII.
De crimine hæresis non cognoscat, neque Re-
gis subditos in ejusmodi caussa absolvat, ni-
si quantum ad conscientiam, & pœnitent-
tiam. IX. *In diplomatibus suis nec Pa-*
tronorum, aut aliorum Ordinariorum ju-
ribus, nec Regulæ de verisimili notitia,
& publicandis resignationibus deroget.
X. Caussas Ecclesiasticas ad se non evocet,
nec de iis cognoscat. XI. *In criminibus*
pure Ecclesiasticis multas pecuniarias laicis
non irroget. XII. *Denique non deroget*
sacris Decretis, pactis inter Reges, & Pon-
tifices initis, Conciliis Oecumenicis, Juri-
bus, immunitatibus, Ecclesiæ Gallicanæ li-
bertatibus, Academiis, & publicis Regni
scholis, idque suo Chirographo confirmet.
Actum in Senatu die vigesima tertia Julii.

§. LIX.

Religionis Status in Anglia.

Cum regnante Henrico VIII. Religio *Sander. de*
 Catholica in Anglia posterioribus *Schif. Angl.*
 præcipue annis acerba prorsus vexatio- *lib. 2.*
 ne fuisset oppressa, majora adhuc detri-
 menta sub Eduardo VI. Henrici filio,
 ejusque Successore passa est; quippe
 Eduar-

Sæcul. XVI. Eduardus Seimerus Avunculus novi
A.C. 1547. Regis, qui diadema adeptus vix decimum
 ætatis annum attigerat, semetipsum proclamavit solum, & unicum
 Regis Tutorem, Regnique Protectorem; cum autem hic æque ac Richardus
 Corcus, ac Joannes Checus ambo Eduardi Regis Magistri Zwinglii sectam
 profiterentur, brevi sub novo hoc Regimine Catholicæ Religionis reliquæ in
 Anglia penitus extinctæ fuerunt. Insuper Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus
 haud ultra hæresin dissimulare sollicitus palam totum, quo ejus animus
 contra veram doctrinam infectus erat, venenum effundere cæpit, cunctaque
 sacra, & profana Regiæ potestati subjecit, imo etiam ipsosmet Episcopatus
 ei subdidit, atque Ordinationes, ipsasque Sacramentorum formas, ac preces
 tam in Episcoporum, quam Sacerdotum inauguratione adhibendas a Senatu
 præscribi mandavit. Postmodum res Liturgicæ, seu publica Ecclesiæ officia,
 necnon quælibet Sacramentorum administratio Regis arbitrio committitur,
 evertuntur plurimum Sanctorum imagines, ac picturæ, necnon in quibusdam
 Ecclesiis dejecta Christi Crucifixi imagine Regis insignia appenduntur.
 Pariter occasione ex Henrici VIII. exequiis captata discutitur institutio
 Missæ

Missarum *de Requiem*, ac brevi post eæ-
dem abrogantur, nec minus sancitur, Sæcul. XVI.
A.C. 1547.
per univcrsum Regnum Visitatores esse
emittendos unacum Constitutionibus
Ecclesiasticis, fideique articulis. His
etiam adjugebantur Præcones, qui no-
væ Reformationis doctrinam prædica-
rent: quinimo duodecim Homeliarum
liber confarcinatur, ut populus instrue-
retur, qua ratione juxta Novatorum
dogma salutem consequi posset. Deni-
que abolito Missæ Sacrificio, everfisque
sacris imaginibus, soli Protestantium
Ministri ad populum dicere permittun-
tur. Interea cunctis hisce immutatio-
nibus introductis Regno bellum impen-
debat contra Scotiam, cui Galli sup-
petias ferebant.

§. LX.

*Universitatum Visitatio ab Anglicæ
Rege præcepta.*

Igitur Angliæ Protector pluribus, quas *Sand. l. c.*
retulit, victoriis elatus primas eo *p. 240.*
curas intendit, ut spuriam Reformatio-
nem in Regno stabiliret, quam in rem
Rex in mandatis dedit, ut omnes aca-
demix, ac Collegia visitarentur, ve-
rum illi, quibus hæc provincia erat de-
mandata, sanctissima piorum Fundato-
rum Decreta ad Religionis, disciplinæ,
ac

Sæcul. XVI. ac rei literariæ augmentum condita ab-
A.C. 1547. rogarunt, eorumque loco novas leges
 sectæ suæ magis congruas substituerunt: cum vero Bonnerus Londinensis, ac Gardinerus Viacomien-
 sis, ambo Episcopi perversa hæc Visitatorum statuta impro-
 barent, in vincula conjiciuntur, præcipue, eo quod sacrarum Imaginum ever-
 sionem damnarent, atque homeliarum librum, cujus supra meminimus, reji-
 cerent. Equidem Maria defuncti Regis filia datis ad Protectorem literis ei-
 dem exprobrabat, quod supremam Henrici Regis voluntatem proterve pessum-
 daret, ac tot novitatibus Religioni veræ adversis ea, quæ ipse sanxerat, e-
 verteret postrema illius monita contem-
 nens. Nihilominus Regis Curia con-
 ventu habito die quarta Novembris com-
 munionem sub utraque specie sancivit,
 privati Sacrificii usum abrogavit, præ-
 cepitque, ut deinceps solus Rex de E-
 piscopatibus per regias literas dispo-
 net: quinimo Episcopalis fori jurisdic-
 tio limitabatur, ac penitus Regiæ po-
 testati subjiciebatur, tandemque ad tan-
 tam deventum erat petulantiam, ut
 Episcopi disertis verbis declarare coge-
 rentur, quod perversam hanc doctrinam
 profiteri velint, prout de tempore in tem-
 pus stabilita atque a Rege, & Clero expli-
 cata fuerit. Porro hæc vox: Clerus:
 non-

Bossuet. hist.
variât. l. 7.
art. 78. v.
 422.

nonnisi ex fallaci comitatis affectatione fuisse additum, satis aperte elucet, cum reapse cuncta nomine solius Regis expediti juberentur. Præter hæc tandem residua Monasteriorum, ac fundationum bona Eduardo vindicantur: Ecclesiasticis vero Deputatos ad Curia inferioris Senatuum ablegandi jus adimitur.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

§. LXI.

*Hassia Landgravius ad implorandam
Cæsaris clementiam adactus.*

Attamen adultera hæc Reformatio, *Thu. hist. l. 4.*
cum in Anglia indies nova caperet *Steid. comm.*
incrementa, haud parum in Germania *l. 19. p. 669.*
decrefcere cernebatur; quippe Carolus
V. Saxonie Electoris arrogantiam plu-
rimum deprimendo, Novatores præci-
puo suo fulcro destituit, nunc vero ip-
sum etiam Hassia Landgravium eo ad-
egit, ut Cæsaris clementiam supplex
exorare, atque illius legibus sese sub-
jicere compelleretur: cum autem Im-
perator vereretur, ne Landgravius ad
extrema redigeretur, respondit, se ad
veniam reo concedendam esse propen-
sum, dummodo sequentes acceptaret
conditiones.

*I. Landgravius ad Cæsarem ipse sup-
plex veniat, flexisque genibus delictum sibi
condonari petat. II. Erga Cæsarem obse-*
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. Bb quen-

Sæcul. XVI
 A.C 1547. quenter sese deinceps gerat, & officiose.
 III. Quæ Cæsar pro salute Reipublicæ faciet Decreta, servet. IV. Camerae iudicio, quod Cæsar constituet, pareat, & sumptum pro virili parte sustineat. V. Adversus Turcam auxilia, singulis temporibus, ut cæteri Principes, conferat. VI. Ab omni fœdere, maxime autem Smalcaldico discedat, & ejus generis literas omnes Cæsari tradat. VII. Nullam fœdus unquam faciat, in quo non Cæsar, & Ferdinandus Rex comprehendantur. VIII. Hostes Cæsaris omni sua Provincia interdicit. IX. Si quem Cæsar multare velit, eum minime defendendum suscipiat. X. Cæsari det iter per suos fines, cum res ita feret. XI. In successione homines, qui contra Cæsarem, aut Ferdinandum militabunt, graviter animadvertat: eos vero, qui jam militant, revocet, ut intra diem decimum quartum discedant a signis, & nisi pareant, bonis omnibus multet, quæ Cæsari deinde cedant. XII. In sumptum belli Cæsari dependat intra quartum mensem aureorum millia centum quinquaginta. XIII. Quas habet arces, atque propugnacula, præter Zegenhemum, aut Cassellum, ad solum usque demoliatur, & quos in ea disponet præjidiarios, atque duces, in Cæsaris fidem adigat. XIV. Nihil in posterum, nisi de Cæsaris voluntate, muniat. XV. Machinas omnes bellicas cum omni instrumento Cæsari statim tradat.

dat. XVI. Ex iis vero Cæsar ei largia- Sæc. XVI.
 tur, quantum satis esse videbitur ad ejus lo- A.C. 1547.
 ci, quem ei concedet, tutelam. XVII.
 Henricum Brunsvicensem, ejusque filium li-
 beros dimittat, & Henrico suam Provin-
 ciam reddat, ejusque ditionis populo jusju-
 randum remittat, deque damno dato cum
 illo transgat. XVIII. Quæ Prusicæ Ma-
 gistro, cæterisque per vim eripuit, restituat.
 XIX. In Danicæ Regem, vel quosvis alios
 nihil moveat, quod vel opem ei non tulerint,
 vel quod Cæsaris secuti sint partes. XX.
 Captivos omnes, qui Cæsari militarunt, abs-
 que mulcta dimittat. XXI. Iis, qui jure
 cum ipso quaquam de re volent experiri, sese
 sistat. XXII. Has leges ipse liberi ra-
 tas habeant. XXIII. Idem faciant nobilitas,
 atque populus, & si quidem ille pacta
 non servet, comprehensum Cæsari tradant.
 XXIV. Pro his rebus omnibus Brandebur-
 gicus, & Mauricius, & Wolfgangus Pa-
 latinus Generi fide jubeant, & nisi is pa-
 reat, vires omnes in ipsum expedire spon-
 deant, ut ad servanda pacta cogant.

§. LXII.

*Hæ conditiones a Landgravio ac-
ceptatæ.*

Hos articulos Landgravius, ad quem *Sleid. &*
 mox missi fuerant, non sine animi *Tauan. l. c.*
 metu recepit, ac majori cum fastidio

B b 2

per-

Sæcul. XVI.
A.C. 1547. perlegit, illis tamen sese submittere cogebatur, ea lege, ne ad duriora adstringeretur. Cum ergo Imperator rem ad sententiam cessisse cerneret, Wittembergam Mauritio Duci cessit, ipse vero quantocius promotis castris in Hassiam contendit, hanc Regionem infestis armis invasurus, si Landgravius datam fidem violare moliretur: verum hic ipse Cæsari obviam procedens die decima octava Junii Hallam pervenit comitantibus eum Electore Brandenburgico, necnon Mauritio Saxoniae Duce. Vix hora effluxerat, cum pariter Henricus Brunsvicensis Dux, ejusque filius Carolus Victor ibidem adventarent: altera vero die Christophorus Carlebitzius, qui Cæsari ab Imperii secretis erat, Landgravium accedens, pacis conditiones ipsius chirographo firmandas obtulit, cum autem ille id exequi renueret, caussatus, additum fuisse, quod Cæsaris esset singulos hujus pacti articulos interpretari, quæ tamen conditio in literis ei per Ephelum allatis non fuisset perscripta.

§. LXIII.

Landgravius coram Cæsare veniam exorans.

Thu. hist. l. c.
Steid. p. 673. Cum autem Atrebatensis Episcopus Cæsaris Minister ad Landgravium que-

querelas responderet, quod hæc con-^{Sæcul. XVI.}
 ditio nonnisi scribæ negligentia, ac ob-^{A.C. 1547.}
 livione in exemplari ad eum transmis-
 so fuisset omiffa, hinc Landgravius mox
 acquievit: renuit nihilominus Tridenti-
 ni Concilii Decretis sese submittere, ista-
 que verba apponi voluit, quod ipse ge-
 neralis, ac liberi Concilii, in quo non
 minus Caput, quam reliqua membra
 emendarentur, sanctionibus parere vel-
 let, eo prorsus modo, quo Brandebur-
 gicus Elector, ac Mauritius Dux se ei-
 dem subjecturi essent. Porro id ex hoc
 sine addidit, quod hi se ab Augustana
 Confessione nunquam discessuros pro-
 misissent. Hac igitur ratione tandem
 pacta fuere firmata, moxque Principes
 circa horam quintam post meridiem
 Landgravium adduxerunt ad Cæsarem,
 qui tum in suo throno confidens cum suo
 Cancellario versabatur. Ubi cum Land-
 gravius coram Cæsare in genua provol-
 veretur, per Cancellarium supplex præ-
 legebatur libellus, quo is crimina in
 Cæsaream Majestatem commissa depre-
 cabatur, simulque efflictim rogabat,
 ut illum in suam fidem, ac præsidium
 recipere velit, facta pollicitatione, quod
 deinceps omnem Cæsari fidem, obse-
 quium, & obedientiam præstare para-
 tus sit. Ad hæc Cæsar per Georgium
 Heldum hæc in responsis dari præce-

B b 3

pit:

Sæcul. XVI. A.C. 1547. *Etsi Langravius gravissimam pœnam sit meritus, prout & publice constat, & ipse fatetur, ego tamen & pro mea liberalitate, & quoniam Principes aliquot intercesserunt, non recusato, quin & a proscriptione is liberetur, & neque supplicio, quod est commertus, neque carcere perpetuo, neque bonis etiam muldetur amplius, quam in formula pacis definitum est: insuper ipsius etiam nobilitati, atque populo ignosco, modo pacta servant, & suum hoc tantum beneficium deinceps agnoscant.*

Hujus perdemissæ subjectionis Spectatores erant Maximilianus Archidux Ferdinandi Regis Filius, Philibertus Sabaudix, & Albæ Duces, supremus Prussix Magister, necnon Atrebatensis, Numburgicus, & Hildesheimensis Episcopi præter Henricum, Carolum Victorem, & Philippum Brunvicensium Duces. Aderat quoque summi Pontificis Nuntius, necnon Bohemix, ac Danix Regum Legati præter Clivensis Ducis, ac maritimarum aliquot civitatum Oratores, aliosque ex Nobilitate quamplurimos.

§. LXIV.

Landgravius præter expeditionem custodiæ datus.

Landgravius, cum de sincero Cæsaris animo

animo haud dubitaret, eidem grates Sæcul. XVI. A C. 1547.
 rependit; cum autem diutius ad ejus-
 dem pedes procumberet, data necdum Shou. l. c. Sleid. p. 674. Ant. Vera hist. de Charles V. p. 264.
 licentia surrexit. Porro paucis post ho-
 ris eum Elector Brandenburgicus visum
 ibat, ac ipsum & Mauritium Ducem u-
 na secum in Albæ Ducis ædibus cæna-
 turos dicebat. Ergo hi una omnes eo
 accedunt, ibidemque sese reficiunt, ab-
 soluta vero cæna Landgravius nihil ma-
 li suspicatus ad aliud cubile contendit,
 fallendi temporis gratia alea lusurus.
 Interea Mauritius Dux, atque Elector
 Brandenburgicus cum Albæ Duce, at-
 que Atrabatenfi Episcopo conferebant:
 vertebatur autem eorum colloquium
 præcipue circa consilium, quo Land-
 gravius horum sermonum ignarus cu-
 stodiæ dandus esset. Deprecabantur
 quidem pro eo Mauritius Dux, atque
 Elector, cum vero quicquam impetrare
 desperarent, per Eustachium Schele-
 bum Landgravio hæc exponunt: *Nos
 per omnem vitam, ut viros Principes decet,
 sincera fide egimus, & quicquid polliciti su-
 mus, diligenter præstitimus, eandem fidem
 ab aliis etiam expectavimus: Albanus &
 Atrabatenfis dicunt, quod tibi sub custodia
 ibi pernoctandum esset: id quidem tibi per-
 grave & acerbissimum accidet: speramus ta-
 men, ubi cum Cæsare collocuti fuerimus,
 rem ex nostra sententia confectum iri, teque*

B b 4

per

Sæcul. XVI. per efficacem operam nostram brevi libertatem consecuturum. His perceptis Landgravius ira commotus ambos adesse voluit, fidem sibi datam obtestatus, cujus fiducia fretus huc sese contulisset, postea eosdem rogabat, ut ipsimet proprii sui honoris curam habeant, & quid sibi, quid uxori & liberis promiserint, in memoriam revocent.

§. LXV.

Mauritius Dux, atque Elector Brandenburgicus apud Cæsarem questi.

Thu. l. 4.

Mauritius Dux, ac nonnulli Electoris Brandenburgici Consiliarii cum Landgravio versabantur, ut eidem aliqua ex parte satisfacerent: altera vero die ambo hi Principes pro Landgravio deprecaturi Cæsarem adeunt, eidemque hæc exponunt: *Ea res plurimum ad nostram existimationem pertinet; neque enim, si qua fuisset vel minima suspicio, ei auctores fuisset, ut se sisteret, nec ille ad eum locum, ubi libertatem esset amissurus, unquam venisset: cum ergo ejus rei nomine illi fidem dedimus, rogamus, ut Cæsarea Majestas nostrarum precum rationem habere, fidemque Hasso datam liberare velit.*

Ad hæc respondit Imperator:
 „ Quid vos Hasso promiseritis, ignoro,
 „ ego quidem eidem caveram, quod
 „ ne-

„ nequaquam perpetuo carceri sit in-
 „ cludendus, nunquam tamen pollici-
 „ tus sum, quod omnino non esset de-
 „ tinendus, nec aliud in pactis perscri-
 „ ptum legitur. „ Accepto responso
 ambo hi Principes Cæsaris Ministros
 questum adeunt, significantes, hac ra-
 tione cum Landgravio contra concor-
 diæ articulos procedi. Verum Ministri
 quantocius initi pacti tabulas proprio
 Landgravii chirographo signatas produ-
 cunt, in quibus tamen deprehendeba-
 tur, quod mutata voce Germanica *Eis-
 nige*, quod idem significat, ac *ullo*, per
 fraudem literæ *n* subrogata fuerit litera
W, ita ut legeretur *EWige*, ac sensus
 esset, quod Landgravio cautum foret
 de carcere *perpetuo*: *Er wolle ihn mit
 ewiger Gefängniß nicht belegen*: non au-
 tem quod Landgravius ab omni carcere
 liberandus foret, seu *er wolle ihn mit eis-
 niger Gefängniß nicht belegen*. Plures
 equidem Historici Cæsarem hac ratio-
 ne datam fidem violasse accusant, Itali
 tamen, atque Hispani ejusdem integri-
 tatem toto studio vindicant (*).

B b 5

Rebus

(*) Hanc fraudem, si tamen intervenit,
 vix Historicorum ullus ipsi Cæsari imputat, sed
 illius auctorem existisse Granvellanum Thua-
 nus scribit, alii vero Albæ Ducem in crimen
 vocant,

Sæcul. XVI. Rebus ita non sine animorum con-
 A.C. 1547. tentione agitatis tandem fuit conclu-
 sum, quod Landgravio, quocunque
 libuerit, abire integrum esset: cum ve-
 ro hic, ut incolumis domum reverti
 posset, fidei publicæ literis sibi caveri
 peteret, id ei denegatum, quamvis
 ambo Principes pro eo summis precibus
 instarent: Biduo autem transacto eidem
 nun-

vocant, Avila autem, necnon Natalis, Su-
 rius, Ulloa & alii tradunt, quod Landgravius
 propria manu formulam conditionum perscri-
 pserit, proinde de scripturæ aut scriptoris errore,
 vel fraude merito conqueri non potuerit, imo ut
 inquit Surius: *Landgravius principio quidem
 graviter captivitatem suam tulit, postquam vero
 cum SUI S IPSIUS SCRIPTIS convincere-
 tur, eam fortunam cepit moderatius ferre.*
 Insuper in Cæsaris rescripto per Heldium Vice-
 Cancellarium Landgravio concessio disertis ver-
 bis legitur; Desgleichen auch, daß Seine Fürst-
 liche Gnaden nicht mit ewiger Gefängniß, noch
 mit Entsetzung derselben Güther möchte beschwe-
 ret werden: Utut demum res se habuerit, ve-
 rissima est Arnoldi animadversio: *Certe, in-
 quit ille in vita Mauricii p. 1216. cum ante id
 tempus Landgravius multa insidiosè (juxta
 Lutheranae Doctrinæ præscripta) egisset, &
 callide, voluisse credo Deum, ut in hunc modum
 vulpecula a vulpe deciperetur.*

nuntiabatur, quod Cæsarem in itinere comitaretur: ecquidem nova hac repulsa, quæ prioris injustitiæ partus erat, magis exacerbatus, primo morem nullatenus gerere statuit, postea tamen, cum viribus, ac dignitate inferior esset, saniora Mauritii, ac Electoris Brandenburgici consilia sequi, habitaque patientia sese novis iussis subicere decrevit, præcipue cum hi eidem promitterent, se nil, ut brevi redire posset, intentatum relicturos, nec etiam a Cæsaris aula recessuros, priusquam libertati restitutus esset. Ergo Cæsarem Numburgum usque comitantur, rursus apud eum pro Landgravio deprecantes: Verum tertio post die Carolus eisdem ulterius progredi inhibuit, adjectis etiam minis, quod Hassiæ Landgravium in Hispaniam captum ablegaturus esset, nisi ab importunis ejusmodi precibus desisterent. Hanc repulsam ægre admodum tulere Mauritius Dux, atque Elector Brandenburgicus, cumque obfirmatum Cæsaris animum flectere desperarent, sinistram habiti colloquii, precumque successum Landgravio significarunt, eumque rogarunt, ut ipsos haberet excusatos, eoquod accepto nuper Cæsaris mandato, eundem ulterius sequi præpedirentur, ut tamen Landgravium ob miseram fortis suæ conditionem

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

Sæcul. XVI. nem valde afflictam solarentur, eidem
A. C. 1547. significari fecerunt, quod insuperhabita
 Cæsaris indignatione brevi ad Comitia Augustana mense Septembri celebranda profecturi, & nullum studium pro ejus libertate prætermitturi essent, quam certo sperandam fore ajebant, si ipse centum illa, & quinquaginta aureorum millia in nuperis pactis promissa pendere, ac de reliquis etiam conditionibus integra fide servandis cavere vellet. Landgravius cum amissam libertatem cuivis rei dispendio redimere paratus esset, conciliationis viam sibi ab utroque Principe propositam arripere statuit, cunctaque ab eo postulata executus est, arcesque suas demoliri, pecunias numerari, ac belli tormenta tradi curavit; necdum tamen libertatem consequi poterat.

§. LXVI.

Augustanus Conventus a Cæsare indictus.

Sleid. comm. lib. 19. p. 677. **H**ac severitate Cæsar non nihil Protestantium factionem deterruit, insuper etiam die tertia Julii Principum Imperii comitia die prima Septembris Augustæ celebranda indixit, atque in mandati sui literis hæc exposuit: *Hucusque bello sui præpeditus, quo minus ad ante-*

anteactas Februarii Calendas egerim con-
 ventum, uti Ratisbonæ decreveram: Turbis
 vero sedatis, Et quia motuum auctores in
 mea nunc habeo potestate, non amplius dif-
 ferre volui, quo nimirum partes vitiosæ
 sanari possint: deliberatio autem erit de iis
 rebus, quæ Wormaciæ, Et ante annum Ra-
 tisbonæ tractari debebant. Ulmæ futurus
 erat hic Conventus: verum ob pestilentie
 contagionem mutatus est locus.

Facta hac convocatione Imperator
 Bambergam Norimbergam contendit,
 quin Saxonie Electori, ac Landgravio
 eandem secum urbem ingredi permitte-
 ret, veritus, ne tumultus suscitarentur,
 cum cives utrique huic Principi pluri-
 mum addicti essent. Eapropter Hispani-
 nis datum erat negotium, ut ambos
 extra urbem sollicitè custodirent. Por-
 ro ibi mox Hamburgensium Deputati in
 Cæsaris fidem recipi efflagitarunt, se a
 foedere recessuros polliciti, quos etiam
 Cæsar perbenigne excepit, indicta non-
 nisi centies mille aureorum multa in
 belli sumptus expendenda: die vero
 sexta Julii promulgato edicto ea, quæ
 inter se, ac Landgravium decreta fue-
 rant, declarabat, simulque inhibebat,
 ne quis ejus bonis, aut subditis ullo
 pacto damnum inferret.

§. LXVII.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. LXVII.

*Wittembergenses Theologi a Mauri-
tio Duce excepti.*

*Sleid. l. c.
p. 678.*

Sub idem tempus Dux Mauritius Wittembergenses Theologos, Melanctonem, Pomeranum, aliosque a se Lipsia evocatos summa cum benevolentia excepit, ac longo cum eis habito colloquio se eorum sectæ ex animo adhærere testabatur. Præterea eis Ecclesiæ, ac Scholæ Ministerium commendabat, necnon enixe, ut bene cæptis constanter infisterent, hortabatur, denique eisdem stipendia constituit, ac muneribus auctos dimisit.

§. LXVIII.

*Praga Ferdinandi Romanorum Regis
arbitrio dedita.*

*Thuan. l. c.
Sleid. p. 662.
663. & 676.
edit. an. 1556.*

Cum interea Bohemi cuncta victoribus Cæsaris armis sese inclinare perspicerent, & ipsi suorum nonnullos ablegabant, qui tot eidem victorias gratularentur, præprimis autem Pragenses sese Ferdinandi Romanorum Regis arbitrio committunt. Itaque Rex ineunte mense Julio urbem ingreditur, die vero sexta ejusdem mensis quingenti cives in arce conveniunt, atque ad Regis

gis pedes provoluti subortis lacrimis il- Sæcul. XVI.
 lius clementiam implorant. Ast Fer- A.C. 1547.
 dinandus subridens ad eos hæc effatus
 est: „Nimis sero lacrimas funditis, in
 „ quas potius erumpere decuisset, cum
 „ arma adversus vestrum Regem cape-
 „ re statuistis. „ Nihilominus Ferdi-
 nandus Maximiliani Archiducis fi-
 lli sui, & Augusti Saxonix Ducis, qui
 Mauritiij frater erat, necnon aliorum
 Procerum, qui Regem comitabantur,
 precibus ad miserationem commotus
 cuilibet sigillatim delicti sui veniam con-
 cessit, præcepitque, ut omnes tum
 præsentés interea in arce detinerentur,
 donec quid consilii caperet, deliberas-
 set. Quarto post die decima Julii eis-
 dem multam significari præcepit his
 verbis:

*I. In proximo conventu Principes fæ-
 dus initum prorsus aboleant, convulsis om-
 nibus sigillis. II. Libertatis, & Privile-
 giorum suorum literas omnes, atque docu-
 menta Regi tradant, ut nonnulla corrigat,
 & ea, quæ videbuntur, ipsis denuo largia-
 tur, & confirmet. III. Tradant etiam
 literas omnes, quibus jura tribuum, atque
 societatum continentur, eoquod ex iis non-
 nulla turbis occasionem, atque materiam sub-
 ministrant. IV. Arces quoque dedant, &
 jurisdictionem omnem, atque vectigalia. V.
 Deinde literas omnes fæderis, & ejus, quod
 cum*

Sæcul. XVI. cum cæteris ipsi fecerunt, & quod initum est
 A.C. 1547. cum Saxonie Duce Joanne Friderico, tradant.

VI. Cervisie vedigal illud promissum in annos tres, perpetuo dependant. VII. Tormenta, & bellicum instrumentum omne deducant in arcem, & quæ privatim quisque habet arma, pro communi servitio conferat in curiam.

Itaque omnes hi cives in arce detinebantur, donec hi articuli omnino executioni dati fuissent; tota etiam rei serie ad populum relata, una omnes acquieverunt, postquam Ferdinandus non nisi quinquaginta ex captivis liberos dimiserat: ex ceteris vero nonnulli ad capitis pœnam, atque alii ad perpetuos carceres fuere damnati: Porro cum Nobiles quoque comparere iussi essent, nec ad dictam diem advenissent, eorum non pauci tanquam proditores, ac rebelles fuere proclamati. Casparus vero Pflugius, quem conjurati seditionis suæ Ducem creaverant, læsæ Majestatis crimen incurrisse denunciabatur, constituto in ejus caput quindecim millium aureorum pretio, illi persolvendo, qui eum vel vivum, vel mortuum traderet.

§. LXIX.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.*Cardinalis Sfondratus ad Cæsarem
ablegatus.*

Adhuc dum Imperator Bambergæ in Franconia hæerebat, dum Cardinalis Sfondratus Papæ Legatus nomine Pauli III. Carolo prosperos armorum successus gratulatum advenerat. Hunc Imperator tam insolita excepit benevolentia, ut hac Legatione cuncta dissidia sedatum iri spes affulgeret; huic enim Legato insuper data erat facultas cum Cæsare conveniendi circa easdem conditiones, quas Mendozâ proposuerat. Verum successus conceptæ spei abluit; quippe Sfondratus peracta officiosa salutatione de rei summa agere cæpit, ac de expeditione contra Anglos suscipienda sermonem instituit. Equidem Imperator hoc consilium jam rejecerat, cum id ipsum Nuntius Apostolicus Pontificis nomine, necnon quidam alius Cardinalis Poli Orator eidem proposuisset, nihilominus Sfondratus his verbis Cæsarem allocutus est: *Quamvis eo tempore, quo proficiscebar, sacra sua Majestas bello Germanico esset implicita, mihi tamen injunctum est a Paulo III. ne prætermitterem tam egregium opus proponere, cum speraret Pontifex, tibi ante*

Pallav. hist. Conc. Frid. lib. 10. c. 3.

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. C c acces-

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

accessum Legati, victoriam de hæreticis a Deo concessum iri, adeoque opportunitatem expeditionis Anglicæ capeffendæ (sicut postea evenerat) nunc vero sacra sua Majestas libere ulcisci poterit insultus, quibus Imperialis dignitas ab Anglis violata fuit; ob eam igitur causam sperat Pontifex, quod tam gloriosam expeditionem nihil ultra morari possit.

Ad hæc respondit Imperator; Meis in Germania rebus plus curæ debetur, ubi post relatam victoriam multum adhuc laborandum superest ad victoriæ fructus decerpandos, de cetero belli hujus laboribus adeo distentus sum, ut novum suscipere haud valeam: cum ergo Legatus hoc consilium Cæsari haud probari cerneret, totam rem prudenti silentio committendam censuit.

§. LXX.

Mutua Cæsarem inter, & Legatum colloquia de Synodo Tridentum revocanda.

*Pallav. l. 6.
n. 2. & 3.*

*Igitur Legatus sermonem ad alias res divertens Cæsari hæc proposuit:
„ Summopere necessarium, ac digni-
„ tati, & utilitati Ecclesiæ prorsus pro-
„ ficuum foret, si omnes & singuli Pa-
„ tres in Concilio uniti essent, quam
„ in rem haud opportunius occurrit re-
„ me-*

„ medium, nisi ut consilia, quæ Men-
 „ doza Cæsareæ Majestatis suæ Orator
 „ Romæ proposuerat, effectui dentur. „
 Ad hæc reposuit Imperator: *Bellum non
 humana ambitione, sed divince causæ stu-
 dio suscepi, ejusque rei luculenta indices te-
 stimonia prodeunt. Hujusce piæ volunta-
 tis meæ præmia agnosco miros, inopina-
 tosque progressus, quibus arma mea Deus
 provexerat: at non possum in Germania Reli-
 gionem componere, nisi reposito Tridenti
 Concilio, quod perspicuum habeo ex com-
 pluribus præsertim hæreticis reconciliatis.
 Nihil dubito, id esse in potestate Pontificis,
 præsertim si verum est, quod Pontifex affir-
 mabat, se inscio Synodum fuisse translata-
 nam sic evanescit omnis species, qua ad trans-
 lationem tuendam alias obstringeretur. Por-
 ro obtenta translationis causa, hoc est,
 morbi suspicio, præterquam quod ea legiti-
 ma non fuerit, jam omnino cessavit. Id nisi
 fieret, prævideo in gravissima incommoda
 offensum iri, sed omne detrimentum in cul-
 pæ auctorem cadet.*

His Caroli dictis Legatus hunc in
 modum respondit: *Nec par est, nec fieri
 potest, ut Synodus regrediatur Tridentum,
 ubi Patres inviti degebant, nisi ingens ali-
 quod Religionis emolumentum eorum redi-
 tum honestiorem, facilioremque redderet, il-
 lud igitur, quod cum Mendoza convenerat,
 amplectendum est, ut nimirum prius Ger-*

Sæcul. XVI. A.C. 1547. *mani & præterita illius Synodi decreta recipere, & futuris se subderent: Hoc etiam in ipsius Cæsaris decus redundabit, tanquam in auctorem revocati Tridentum Concilii cum tanto Ecclesiæ decore, atque æcompendio.*

§. LXXI.

Legati petitio de Synodi decretis a Cæsare recipiendis.

Cum Imperator sua promissa conditionibus adeo incertis alligari nollet, ita reposuit: *Ea non ad expediendam rem, sed ad subterfugiendam proponuntur; cum in comperto sit, obstacula non defutura in Conventu Cæsareo, ne res progredi possent. Porro hic ex una parte Legatus obiecit, quænam foret dignitas, si Concilium quasi per vim Tridentum repelleretur in Gratiæ Germanorum, atque iidem postea illud contemnerent, pluresque ipsum oppugnarent, ac denique omnes inde recederent, ut iam contigerat. Ex altera parte Cæsar contendebat, quidquid tandem evenisset, eam unicum viam superesse, qua possent Pontifex apud Deum, hominesque suam causam probare.*

Nihilominus Sfondratus denuo institit, Cæsarem rogans, ut Synodi Decreta in Germania recipi curaret saltem propter victoriam recens relatam, cum
ob

ob Dei caussam bellasset, ac vicisset. **Sæcul. XVI.**
 Verum Legatus unice a Cæsare hoc re- **A.C. 1547.**
 sponsum impetrare poterat: *probe no-*
sco legatum plene documentis instructum ad-
venisse: at nolo aliud repetere, nisi, quod
meo muneri haud defuturus sim in eo, quod
Religioni poterit prodesse; opto pariter, ut
suo quoque munere alii fungerentur. Tum
 Legatus respondit, *idem est Pontifici pro-*
positum: quapropter cum de re nihil in-
ter vos discrepetis, sed de modo rei confi-
ciendæ opportuniore, hinc haud gravetur Sa-
cra Cæsarea Majestas sua id mature per-
pendere; cum eam haud latere possit, quod
Mendoza ipsius Orator adeo huiusmodi
negotiorum peritus, propositis conditionibus
acquieverit. Ast reposuit Cæsar: haud
mirum videtur Mendozam decipi potuisse;
nec mihi ad id longiore meditatione opus est.

Legatus hoc responso parum conten-
 tus, ac Cæsaris animum flecti posse de-
 sperans abeundi veniam petiit, obtinuit-
 que. Equidem non deerant, qui Sfon-
 dratum Romæ non modo ob discedendâ
 facultatem nimis præpropere petitam,
 sed præcipue propter reiectas a Cæsa-
 re conditiones antea ab ipsomet Men-
 doza approbatas reprehenderent. Ve-
 rum ille utrumque accusationis caput
 facile diluit, datis literis totam collo-
 quii cum Carolo habiti feriem expo-
 nens, quid vero ipse hac in re sentiret,

Sæcul. XVI. his verbis declaravit: *id temporis oportu-
 A.C 1547. tunum non est Bononiæ Synodum retine-
 ri, eoquod Italorum Præfulum frequentia, & exterorum raritas, Provincialis, non Oecumenicæ Synodi speciem præferret, in-
 super idem Concilium populis suspectum fit, cum illius Patres Pontifici sint additi, eorumque statio in Pontificia ditione suspecta esset. Denique cum Cæsar eam Synodum palam aversetur, timendum, ne pro Imperii amplitudine in Schisma prorumperet.*

Pariter die vigesima prima Julii datis ad Maffeium, qui Papæ ab epistolis erat, literis eidem significavit, quod Cæsar obfirmato animo suæ inhæreat sententiæ, ac Synodum Tridentum revocari postulet. Ea res Pontificem anxiiis curis distinebat, eoquod Patres rursus Tridentum convocare recusaret, summopere gavifus, quod Synodus in quadam urbe eius imperio subdita celebraretur (*). Itaque ad dirimendam
 Syno-

(*) Quam iniquo calamo Continuator hæc contra Pontificem intruserit, sat manifeste patet ex ipsis Pallavicini verbis, qui hanc in rem l. c. num. 10. ita disserit. *Ast Paulus Papa, uti Sedis Apostolicæ studiosus recusabat Tridentum rursus amandare Concilium absque certo aliquo Ecclesie commodo, & cohonestamento; ita pacis appetens facilem se ad me-
 dium*

Synodi causam tempus magis opportunum expectare oportebat.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. LXXII.

Conventus Augustani initia.

Interea Imperator exeunte Mense Augusto unacum exercitu suo Augustam venit, ibidem comitia celebraturus, quibus etiam die prima Septembris datum est initium. Præprimis Cæsar ipsam Ecclesiam Cathedralem, ac loca quædam sacra Archiepiscopo restituit (*), ceterorum autem curam Senatui, ac populo integram reliquit: cum autem hæc urbs palam Lutheri sectam profiteretur, hinc Ecclesias ritu Catholico expiare oportebat. Hoc facto Michaelem Sidonium supremum Moguntini Archiepiscopi Vicarium

Sleid. p. 69r.
Thu. l. 4. n. 7.
Heiff. hist. de
l'Emp. l. 3.
p. 393.

Belc. comm.
l. 15. n. 46.

far

dium aliquod consilium ostendebat, cuiusmodi esset, Synodum Ferrariam adducere, cuius Dominus ob Mutinæ, Rhegiique Principatum erat in Cæsaris clientela. Cæsariani vero non tam Bononiæ insensu erant, quia Pontifici obtemperabat, quam Tridenti cupidi, quia erat opportuna Germanicæ & fortassis tuendæ dignitatis curâ solliciti.

(*) Thuanus addit, ut a Religione initium fieret.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

far Ecclesiæ Cathedralis Concionato-
rem constituit, quo munere ipse cum
ingenti Religionis studio functus est, &
plures sermones typis postmodum im-
pressos habuit de Missæ Sacrificio; cum
autem cives iamiam intime hæresis
veneno infecti essent, non raro Ecclesia,
ubi ad populum dicebat, auditorum fre-
quentia erat destituta. Ceterum fre-
quentissimus erat hic conventus: a-
derant enim præter cunctos S. R. I. E-
lectores Adolphus Coloniensis Archie-
piscopus, Mauritius Dux, novus Saxo-
niæ Elector, aliique quam plurimi, quos
inter pariter recensebantur Maximilia-
nus Romanorum Regis Filius, Triden-
tinus Cardinalis, Henricus Brunsvicen-
sis, Cleviensis Dux, ac Maria Caroli V.
Soror, quæ suam Neptem Lotharingæ
Ducem comitabatur. Nec deesse vo-
luit Sybilla Joannis Friderici capti E-
lectoris coniux, suum Maritum visendi,
eidemque, si fieri posset, libertatem pro-
curandi desiderio incitata.

§. LXXIII.

*Cæsaris Oratio ad Principes in co-
mitiis congregatos.*

Sleid. p. 682.

Belcar. l. c.

Thu l. 4.

Spond. hoc

ann. n. 12.

Postquam Maximilianus Austriæ Ar-
chidux nomine Cæsaris pauca quæ-
dam esset effatus, ipsemet Carolus Im-
pera-

perator per suum ab arcanis Mini-^{Sæc. XVI.}
 strum suam pro patria piam voluntatem ^{A C. 1547.}
 his verbis exposuit: *Ante biennium Wor-*
maticæ conventum egi, ut similitatem omnem
componerem: cum vero pauci quidam ad-
essent, actionem omnem transtuli Ratisbo-
nam, quo & ipse primus omnium veni,
licet valetudine tum utebar admodum tenui:
cumque cæterorum adventum expectarem,
quibus ea de re scripsi, vix pauci tamen
mihî præsto fuerunt, quorum nonnulli dein-
de me minime conscio discesserunt: eo co-
gnito, & reliquis etiam abeundi feci po-
testatem, sic adeo conventus ille fuit nullo
cum fructu, neque sine ludibrio dissolutus:
cum vero non sine astu quorundam, atque
detractationibus id factum esse cognoscerem,
necessario mihi adhibendum fuit remedium,
ideoque missis literis, quid mei esset proposi-
ti, & quomodo religionis hoc dissidium
legitime componi vellem, multo ante signifi-
cavi: postea vero, cum felicem eventum mei
Consilii Deus daret, comitia denuntiavi sta-
tim, ut de communi ipsorum voluntate,
atque suffragio decernam, quid sit ex usu
reipublicæ, sed quia dissidium religionis,
caussa est omnis perturbationis in Germa-
nia, & nisi componatur, pax omnino con-
stitui non potest, hinc mea potissimum opera,
cum id sæpe flagitaverim, indictum fuit, &
inchoatum Tridenti Concilium, nunc ergo
primam, & potissimam volo huius rei deli-

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

berationem esse: quemadmodum vero pacem omnes colere debeant, id iam fuit ante decretum. Verumtamen, si quid in eo putent esse corrigendum, aut amplius declarandum, libenter audiam rationes ipsorum: ut etiam jus administraretur, imprimis curandum, nam ad infamiam, & detrimentum Germanicæ pertinuit, quod iam per aliquod tempus nullum ius dicatur: decretum quidem ante fuit, quomodo sit constituenda Camera, sed quo minus id factum sit, incidere quædam obstacula: nuper autem Principes aliquot, atque civitates fidem dederunt, iudicio, quod ipse darem, se parituros esse, & sumptum etiam in eo facturos; itaque peto, ut huius rei procurationem meæ fidei permittant, & sumptum pro sua quisque virili parte conferant: dabo enim operam, ut in eum confessum homines idonei recipiantur, qui data fide per iusiurandum, iuxta æquitatem ius omnibus dicant, & quia propter intermissum aliquamdiu iudicium, causarum, & litium numerus valde est auctus, videtur mihi consuetum, ut loco supplementi decem præterea Iudices, ad consuetum numerum extra ordinem adiiciantur: de querimoniis autem Ecclesiasticorum, propter ereptam ipsis iurisdictionem, atque bona volo ego cognoscere, & offensionem omnem tollere, si possim: de Turcicis auxiliis placeret mihi actionem differri, donec Ferdinandus Rex frater meus venerit, qui

Et de pactis induciis, Et quid in posterum Sæcul. XVI.
 fieri oporteat, est explicaturus. Postremo, A. C. 1547.
 privatas quorundam deliberationes, atque
 congressus non probo; nam iis impediun-
 tur publicæ actiones, ac sæpe fit, ut persua-
 sionibus a sententia concepta multi revocen-
 tur: id autem in publicis Imperii Conven-
 tibus non est decorum, neque ferendum:
 quid enim quisque sentiat, palam debet in
 confesso, Et libere pronunciare: hæc sunt,
 de quibus ad vos referre volui, Et peto, ut
 de iis quamprimum agatis, Et quid vestræ
 sit voluntatis, demonstratis.

§ LXXIV.

*Religio Catholica a Cæsare Augustæ
 restituta.*

Insuper Cæsar Religionem Catholicam
 Augustæ reduxit, atque Cardinalem *Thou l. 4. n. 7.*
 Othonem Truchesium de Waldburg e-
 iusdem Urbis Episcopum suis iuribus
 restituit, qui Ecclesias rursus lustravit,
 atque expiavit, nec non antiquum Dei
 cultum, prout ante hæresin vigeat, in-
 stauravit. Verum non eodem animo-
 rum consensu Cæsaris propositiones cir-
 ca Religionem ab omnibus excipie-
 bantur; quippe S. R. I. Electores Eccle-
 siastici non alia ratione, quam per ipsam
 Tridentinam Synodum Religionis diffi-
 dia esse componenda omnino conten-
 debant.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547. debant. Ex adverso Protestantes non id quidem penitus recusabant, petebant tamen, ut Concilium foret liberum, nec ei Pontifex præesset, quinimo Episcopis præsentibus fidei sacramentum, quo Pontifici adstricti erant, remitteretur. Præterea postulabant, ut eorum etiam Theologis decidendi facultas competere, atque Synodi decreta hucusque condita rursus examini subiicerentur, ac denuo ad trutinam revocarentur: ceteris vero placuit, ut Synodus continuaretur, atque ad eam Protestantes publicæ fidei literis a Papa, ac Cæsare muniti admitterentur, eorumque querelæ exciperentur, seque Concilii decretis obtemperaturos vicissim sponderent.

§. LXXV.

Cæsaris mandatum de obedientia Synodo ab omnibus præstanda.

Attamen Cæsar, ut opiniones tam dissimiles tolleret, responso die vigesima Octobris dato petiit, ut omnes sine discrimine sese Concilio subiicerent. Ad hæc Palatinus Dux Cæsaris iram veritus: Mauritius vero Landgravium in libertatem asserendi spe incitatus, alii autem variis expugnati rationibus totam rem Cæsaris arbitrio tanta animi prom-

promptitudine commiserunt, ut die vi-
 gesima sexta Octobris se Cæsaris volun-
 tati omnino assentiri, cuncti per publi-
 cas literas profiterentur: maioris vero
 moliminis negotium erat cum Imperii
 civitatibus; hæ enim una ex parte in-
 gens novæ suæ sectæ periculum, si sese
 Concilio subiicerent, imminere prospe-
 xerant, atque altera ex parte sua per-
 tinacia Cæsaris, qui post tot victorias
 eos ad obediendum vi compellere
 posset, indignationem, iramque refor-
 midabant: tandem ergo earum Depu-
 tati tradito libello conditiones, sub qui-
 bus sese Synodo submittere vellent, Cæ-
 sari exponebant.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1547.

§. LXXVI.

*Quibus conditionibus Protestantium
 subiectio erat restricta?*

Cum Imperator hæc urbes sese Con-
 cilio decretis absque restrictione
 subiecturas crederet, eisdem significari
 iussit, quod earundem submissionem non
 sine animi voluptate acceptaret: Illæ
 vero mox aliud scriptum Imperatori
 tradiderunt, in quo conditiones, sub qui-
 bus suum consensum daturi forent, ma-
 gis adhuc perspicue exponebant: e-
 rant autem sequentes. I. *Principes, ac
 Imperii Civitates sese subiciunt Decretis
 Con-*

Sleid. l. 19.

p 687.

Thu. l. 4.

Pallav. l. 10.

6.6.n.34, 35.

Sæcul. XVI. Concilii Tridenti celebrandi, quippe captum
A.C. 1547. fuit in Urbe nec admodum Germanis incom-
 moda, nec ab aliis nationibus merito re-
 cusanda; II. in hoc Concilio agenda res erit
 de sacrarum literarum, Patrumque doctrina:
 III. Cæsar tanquam Ecclesie Patronus
 polliceatur, se effecturum, ut plenam loquen-
 di libertatem, tutum ibi domicilium, & ab-
 eundi securitatem obtinerent ii etiam, qui
 Confessionem Augustanam tuentur: IV. eo
 pariter per se ipsos, aut ubi præpediren-
 tur, per Procuratores idoneos aderunt E-
 piscopi Christianarum omnium Provincia-
 rum, præcipue vero Germanicæ, cuius gra-
 tia Concilium illud in primis habetur.

§. LXXVII.

*Legati oppositio contra hanc Prote-
 stantium submissionem.*

*Pallav. l.c.
 Ex literis
 Sfondr. ad
 Farnes. ult.
 Octob. ann.
 1647.*

Porro cum in hoc Protestantium libel-
 lo nulla Sedis Apostolicæ mentio
 haberetur, Legatus hac super re quere-
 batur. Verum ei in responsis datum,
 eam apertam mentionem fuisse prætermis-
 sam, ne in verborum litigia impingeretur,
 cum satis esset tacita mentio, illis verbis in-
 clusa ex Patrum Doctrina.

Ad alterum caput, quo Synodus
 Tridenti celebranda decernebatur, ei-
 dem fuit responsum, quod ea de re
 iam esset statutum, nec Cæsar a sua
 sen-

sententia dimoveri posset. His ita de- Sæcul. XVI.
cretis Electores tam Catholici, quam A. C. 1547.
Protestantes ex improvise Legatum a-
diere, ac singularem ei reverentiam,
atque affectum semper deferentes, li-
cet non essent invitati, prandio exci-
pi petierunt.

§. LXXVIII.

*Mandata Cardinali Madrutio Cæsara-
reo apud Papam Legato
data.*

Imperator, cum non modo avitæ Reli- Pallav. l. c.
gionis concordiam in Germania, sed n. 5.
etiam Concilii restitutionem in Urbe Spond. hoc
Tridentina urgere summa cum auctori- ann. n. 21.
tate niteretur, Cardinalem Madrutium
Romam mittere decrevit, dato eidem
negotio, ut ea, qua polleret, dexterita-
te, totisque viribus Pontificem ad sua
vota inclinare satageret, eique Cæsaris,
ac Romanorum Regis nomine hæc ex-
poneret. *Dei ope supra omnem humanam
spem effectum est, ut cuncti Principes, Or-
dinesque Germanicæ subjicerent se iudicio
Concilii, quod Tridenti celebratur: Et
quamquam in maximam ea de re difficulta-
tem offensum esset super auctoritate, quam
in Concilio Apostolica Sedes exerceret, ut-
pote alteri parti suspecta; haud tamen con-
sentit Cæsar, huiusmodi subiectionem quo-
cunque*

Sæcul. XVI *cum modo coarctatam, conditionibusque*
A. C. 1547. *circumscriptam, sed liberam, & absolutam*
futuram. Proinde Madruccius utrius-
que Principis, Ordinumque Germanico-
rum nomine jubebatur rogare Pontificem,
ut Concilium Tridenti reponat, illudque
absolvat, quod is effecturum se spon-
derat, quandocunque huiusmodi Synodo Ger-
mania se remisisset, sicut in præsentem se para-
tam exhibet: cum autem Cæsar minime du-
bitet, Pontificem maxime gavisurum ob fa-
ctam sibi, & Ecclesiæ auctoritatis accessio-
nem, nec neglecturum tam egregiam red-
integrandæ Christianæ reipublicæ, reparan-
dæque jacturæ, quam Petri Sedes passa fue-
rat, opportunitatem, tanta auri vi, tot
incommodis, tam gravi etiam vitæ disci-
mine coemptam a Cæsare, ac præstiturum
hoc pacto Pontificem id, quod semper obtu-
lerat qua sua, qua suorum Nuntiorum, ac
Legatorum lingua. Quod si perficeret, pro
certo haberet, nunquam destitutum Cæsarem
suo perfungi munere in Sacrosancta fide, ac
Sede Apostolica provehenda, pro eo, ac sæ-
pius promiserat: sin autem id Pontifex
recusaret, quod Cæsar haud credere vult,
is satis excusatus erit apud Deum, apud
Pontificem, apud omnes mortales, cum omne
id, quod in se esset, præstitisset ad remo-
venda tam gravia Religionis incommoda,
quæ Pontifex pro sua prudentia sane pro-
spiciet, quæque ab Oratoribus ipsius Cæsa-
ris

vis sæpius fuerant illi proposita, atque a Pontificiis Legatis in Germania sub eorum oculis imminentia conspecta fuerant. Porro cum perspectum esset, quod Synodi revocatio adeo prompta fieri haud posset, atque omnino requireretur, ut circa res fidei in illis Provinciis quædam saltem fierent dispositiones: ex altera autem parte nullus adesset Pontificia ad id peragendum potestate munitus, hinc Legatus insuper a Papa petere iubebatur, ut viros ea instructos facultate delegaret, ut interim malis, quantum fieri posset, occurreretur. Exponeret pariter Pontifici, quicquid ipse Madruccius Germanicæ salutis necessarium in morum correctione cognoverat. Cæterum cum petitioni revocandi Tridentum Concilium fuerat nonnunquam a quibusdam, qui Pontificis partem magis tuebantur, obiectum, huiusmodi Synodum, si Pontifex occumberet, conaturam fortasse, novam sibi electionem Pontificis arrogare; hinc Madrutius Pontifici fidem facere iussus erat, quod Cæsar palam profiteretur, ipsius semper fuisse mentem, non nisi Romæ, ac more consueto Pontificem eligendum, prout jus postularet, ipsumque suam fidem Cæsaream obstringere ad id observandum. Et quamvis sperandum esset, superfuturum Concilio Pontificem, ejusque fructus collecturum, tamen quidquid eveni-

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. D d ret,

*Sæcul. XVI.
A.C. 1547.*

Sæc. XVI. A.C. 1547. *ret, curaturum Cæsarem, ut nonnisi vir sanctissimæ, gravissimæque dignitati par sufficeretur: hæcque promissa, ut magis rei cautum esset, a Romanorum Rege, designato successore Cæsaris, si forte is obiret, firmatum iri.*

Pallav. ib. n. 8.

Præterea Cardinali Madrutio iunctum fuit, ut si forte difficilem experiretur Pontificem post impensa simul cum Oratore Mendoza, quam maxima possent, officia, publicam, quantum liceret, ea de re fidem acciperent, atque aut in Senatu, aut per aliam pro ipsorum arbitratu formam morderent Cardinales, Principum Oratores, aliosque illustres viros publico munere præditos, ut cunctis innotesceret, nihil suarum partium, divini honoris, rei que Christianæ causa fuisse a Cæsare prætermissum: si vero Pontifex, quod minime credendum erat, juberet Patres Bononiæ aliquid agere Tridentinæ remigrationi adversum, Orator protestationem ex formula traditi seorsim scripti adhiberet.

§. LXXIX.

Madrutius Cardinalis re infecta Romanam delatus.

Pall. l. 10 c. 6. n. 9. 10. Et cap. 7. n. 1. Et 2. **M**adrutius Cardinalis hisce mandatis instructus, Bononia, ubi prius cum Octavio Farnesio colloquebatur, profectus est, die decima septima Novembris Romanam

Romam delatus. Ibidem mandati ex-
emplar Pontifici tradidit, qui, ut de re-
sponso consultius deliberaret, Marcel-
lum Cervinum Cardinalem Bononia
accerfivit. Hic die nona Novembris illuc
venit, eo autem præfente fummus Pon-
tifex rem cum Sfondrato, ac Montano
Cardinalibus contulit, nec non huic po-
steriori, utpote magis vicino illud Cæ-
farei mandati exemplar transmisit, signi-
ficans, quod multi ex Patribus ad Sy-
nodi suspensionem propenderent: Sfon-
dratus vero in suo responso mala expo-
nebat, quæ oritura dicebat, five demum
Synodus denuo Tridentum revocaretur,
five Bononiæ continuaretur. Ceterum
quid hac in re consultius foret, Sfon-
dratus haud decidebat.

§. LXXX.

*Montani Cardinalis iudicium circa
Cæsaris mandata.*

Verum Cardinalis Montanus hac super
re sententiam suam magis aperte
declarans inspectis Caroli mandatis con-
jiciebat, quod Cæsar in Pontificem, ac
Cardinales cunctationis culpam rejicere
intenderet, ut in ipsum tota celebrandæ
Synodi auctoritas devolveretur. Verum
ipsum hanc suam conjecturam impugna-
bat, affirmans, quod infirma esse hæc

D d 2 ratio

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

*Pallav. c. 7. n.
2. ex lit.
Mont. ad
Cerv. II. &
15. Nov. 1. 6.
& 7. Dec.
1547.*

Sæcul. XVI ratio; cum enim Concilium iam esset
A.C. 1547. congregatum, atque ultro annuente
 ipso Cæsare fuisset translatum, haud
 amplius penes Imperatorem staret, illud
 ubicunque ipsi libuerit, collocare, invitis
 Synodi Patribus, summo Pontifice, ac
 Christianis Principibus, quos inter Gal-
 liarum Rex Concilium Bononiæ con-
 tinuari assensit, ac plures regni sui
 Episcopos in dies submisit, multosque
 Cardinales Gallos eo ablegavit, ut Pon-
 tifici adversus Cæsareorum conatus assi-
 sterent. *Neque ex eo, pergebat Monta-
 nus, quod hæretici Concilium Tridenti ve-
 lint, satis caussæ est, cur eo retrudatur, tot
 Patribus, Catholicisque Principibus relu-
 stantibus. Itaque si præscripta Madruccio
 mandata solum privatim fuere Pontifici
 reddita, sicut ad id usque temporis contige-
 rat, suadeo, ut privatim, ac leniter rescri-
 batur iterata laudabili responsione, ac semper
 antea Pontifici usitata, qua significetur,
 quod nolit adimere Concilio manendi, disce-
 dendive, quo liberet, libertatem. De trans-
 latione, an legitima fuerit, cum in Cæsaris
 mandatis nihil habeatur, nova defensio haud
 adducenda est, sin autem Cæsariani ad pu-
 blicam contestationem progredierentur; cer-
 ta illis dies destinanda est, qua Senatam a-
 darent, responsionem accepturi: ibi vero i-
 psis reddendum est responsum sat prævali-
 dum, clarisque rationibus confectum; quibus
 etiam*

etiam adjiceretur, adversus quemlibet quacunque dignitate conspicuum, qui Patres ab adeundo Concilio præpediret, pœnas a jure statutas expetitur iri, nec ipso Cæsare quidem excepto. Ceterum nulla plane conditione hujusmodi regressioni indulgendum erit, si namque Tridentina statio prius credita fuerat periculosa, longe deinde periculosior censeatur, postquam Placentinus tumultus Caroli animum in Pontificem patefecerat. Verum postremus hic articulus intelligi haud potest, nisi res ab alto petatur.

§. LXXXI.

*Dissidia Papam inter, & Cæsarem
ob Parmensem & Placentinum
Ducatum.*

Paulus III. priusquam clericali militiæ esset adscriptus, uxorem duxerat, atque ex suo coniugio præter Filiam nomine Constantiam etiam Filium Petrum Aloysium Farnesium suscepit, quem ultimum quoque Parmensem, ac Placentinum Ducem creavit, hacque donatione ambas hæc urbes ab Ecclesiæ dominio seiunxit, cui illas Galli olim fartas conservaverant. Ne vero ullum inde damnum Ecclesiæ accresceret, permutationis titulo Sedi Apostolicæ attribuit Principatum Camertinum, ac Nepensem Toparchiam, quam Octavio

D d 3 Mar-

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

Thuan. l. 4.
Sleid. comm.
19.

Sæcul. XVI. Margaritæ Austriacæ, quæ spuria Caroli
A.C. 1547. V. filia erat, desponsato, ejusque liberis
 concesserat. Præterea Papa sanxit, ut
 pro Parmensi, ac Placentino Ducatu
 quotannis octo aureorum millia Ærario
 Apostolico penderentur.

Ea res displicuit Cæsari, præcipue
 cum aliunde Petro Aloysio indignaretur,
 eoquod eum Genuensis conspirationis,
 in qua Jannetinus Auria trucidabatur,
 participem crediderat, hinc permuta-
 tionem a Papa factam ratam habere re-
 nuit. Ea repulsa summus Pontifex
 tantopere offendebatur, ut Octavium
 Nepotem suum unacum copiis in Ger-
 maniam contra Protestantes transmissis
 revocaret. Haud parum ea res Cæsaris
 animum commovit; verebatur enim, ne
 Lutheri sectatores hæc dissidia in rem
 suam verterent. Verum Petrus Aloysius
 brevi suam nequitiam omnibus mani-
 festam fecit; violatis enim cunctis iuribus
 tam Nobilium, quam populi odium in
 se concitavit, ac Tyrannorum more do-
 minari cepit, unde nefanda eius crimina
 fomitem præbuere coniurationi, in qua
 etiam trucidatus periit: cæde peracta
 quantocius Cæsaris copiæ a conjuratis
 in Placentinam urbem recipiebantur:
 Parma vero cura Comitis Sfortiæ de
 sancta Flora, nec non Bononiensis Vi-
 ce-Legati opera summo Pontifici confer-
 vabatur.

vabatur. Equidem Paulus de Petri ^{Sæcul. XVI.}
 Aloysii morte ingentem fenserat dolo- ^{A. C. 1547.}
 rem, nec minus etiam eum afflixit
 Placenti iactura, quocirca totus in eo
 erat, ut ad reddendam hanc urbem Cæ-
 saream induceret: quam in rem multa
 hinc inde agitabantur consilia, quæ ta-
 men omnia in irritum cecidere, eo quod
 Cæsar obfirmato animo sententiæ suæ
 inhærens omnes concordie articulos
 respueret.

§. LXXXII.

Sessio II. ad incertam diem prorogata.

Ferventibus hisce tumultibus & Legatis ^{Pallav cap.}
 Bononiæ hærentibus haud consul- ^{n. 1. & 12.}
 tum videbatur, ut Sessio præstituta die ^{Sarpi lib. 35.}
 decima quinta Septembris haberetur, ^{p. 255.}
 hinc omnes Synodicos conventus esse
 interrumpendos censebant: Igitur ar-
 repto hoc consilio Montanus Cardinalis
 cunctis Prælatibus decima quarta Septem-
 bris in suo Palatio congregatis hæc ex-
 posuit. *Equidem crastina dies habendæ
 Sessioni designata fuit. Verum nemo est,
 qui non facile perspiciat, quibus Synodus
 conflictetur angustiis; nam multi e Præsulibus,
 ac nominatim Galli, nondum advene-
 runt, sed sunt in via, & illi, qui ante pau-
 cos dies advenerunt, quis sit rerum Synodi-
 carum status, non satis edocti sunt; quin
 etiam Præsules illi, qui tota æstate superiore*

Sæcul. XVI. A. C. 1547. *Theologorum disputationibus interfuerunt, nondum satis probe ad res determinandas instructi videntur. Ad hæc accedit nefanda Ducis cædes, quæ omnium animos habet suspensos, ipsis vero cogitationem injicit de civitatibus Ecclesiæ, in tuto collocandis. Lætor quidem unacum socio meo de reservata Sessionis prorogandæ potestate, eo potissimum nomine, quod ipsemet Mendoza eiusmodi dilationem sollicitaverit, nos vero celebrandæ sessionis molestiam evitare possimus: hinc mei est consilii, imo & necessitas suadet, ut hanc reservationem in rem nostram vertamus, moxque Sessionem in præsens prorogemus, illamque nequidem crastina celebremus die.*

Equidem Patres una omnes, nemine excepto in hanc quoque sententiam abiere; cum autem de certa die futuræ huic Sessioni præfigenda ageretur, Legatus subiunxit: post seriam, sollicitamque cogitationem, non potui certum aliquem diem præstituerè, in quo interea argumentis ibidem pertractandis incumbere possemus. Notum vobis est, quod, dum Tridenti commorabamur, constituerim apud me, decretum de iustificatione quindecim dierum spatium expedire: totos tamen septem menses continuos in eo pulvere desudavimus, binis etiam sæpiuscule eodem die habitis congregationibus. Porro in rebus fidei, ubi de hæreticis convincendis agitur, testitudinis gradu

gradu incedendum, & plerumque in unius Sæcul. XVI. A.C. 1547.
 verbi discussione multum temporis impenden-
 dum censeo: unde non constat, utrum Sessio
 infra paucos dies necessario celebranda sit,
 an in multos menses extrahenda. Quare
 mihi videtur consultissimum, Sessionem, quæ
 futura erat die sequenti, ad Concilii benepla-
 citum prorogare, eaque ratio est sine omni
 controversia longe optima: si vero quispiam
 objiciat, quod die aliquo certo præstituto,
 singuli e Patribus rebus suis melius con-
 sulere possent, id unice respondeo, quod in-
 tra paucos dies facile perspici possit, quem
 progressum, & exitum Synodus sit habitura,
 atque ex his postea res decerni poterit. O-
 mnibus igitur huic sententiæ applau-
 dentibus, de Sessione ad sacri Concilii
 beneplacitum proroganda decretum
 fuit.

§. LXXXIII.

*Germanicæ Episcoporum literæ de
 Concilio Tridentum revocando.*

Postera die quidam Lusitanus Portuen- Pallav. l. 10.
 sis Episcopus, ac Bracarensis Suf- c. 6. n. 1.
 fraganeus Bononiam venit: Interea ve- Sarpil. 3.
 ro Germanicæ Episcopi a Cæsare stimu- pag. 256.
 lati datis ad Papam literis Synodum Exstant lite-
 ræ in Collect.
 Tridentum revocari efflagitarunt, ibi- Archi. A-
 demque hæc exposuerunt: in summo di- quens. datae
 scrimine Germanicæ salus versatur, atque 14. Sept.
 illud malum potuisset averti, si publici Con-

D d 5

ciliū

Sæcul. XVI
A. C. 1547.

cilii remedium, de quo Cæsarem interpellarunt, tempore idoneo, & intra Germaniæ fines fuisset adhibitum: Nos autem, cum ampla sit jurisdictio nostra, non possumus diu a nostris abesse ditioibus. Eapropter neque Mantuam, neque Vicentiam germanorum Præsulum quisquam profectus est; perpauca quoque Tridentum, eoquod ea Civitas, etsi Germaniæ finitima, tamen extra ejusdem fines, ad Italiam magis pertineat, bellique præsertim tempore, viis undique obsessis, eo proficisci parum tutum sit. Nunc autem procella ea disjecta, rebusque in tranquillum adductis, bona omnes spe eramus, in ipsum portum esse perventum, cum subito præter omnem expectationem nunciatur, Concilium, in quo spes omnis erat collocata, in aliam urbem translatum, imo potius divisum: hujus ergo remedii fiducia dejecti, non aliud habemus quam in Sede Apostolica per fugium, quam enixe exoratam volumus per Germaniæ Salutem, ut Concilium Tridenti restituat: id si faciat, nullum erit genus obsequii, quod non a nobis sibi debeat polliceri, alioqui non habemus, unde malis, & procellis imminentibus deposcamus auxilium. Insuper eorum, quæ postulamus, eo magis habenda est ratio, quo firmiter cogitemus, posse fieri, nisi ipse provideat, ut alicæ rationes & consilia ineantur pro difficultatibus his expediendis, hinc oramus Beatitudinem suam, ut scriptum hoc boni consulat ab iis, quos

quos, ut ita scribant, tum officii sui ratio, Sæcul. XVI.
 tum temporum conditio impellit. A.C. 1547.

Verum eorum precibus, ac vehementibus monitis Papa minime flectabatur, ac etiam Cardinalis Madrutius amplius ab eo impetrare desperans Augustam reversus est, suaque mandata reliquit Mendozæ Legato, quem Carolus V. Senis, ubi huius Reipublicæ diffidia compositurus hærebat, excedere, moxque Romam contendere iussit, quod ipse etiam protinus effectui dedit.

§. LXXXIV.

*Mendoza Orator Synodum Tridentum
 revocari postulans.*

Hic idem Cæsaris Legatus obtenta Pontificis venia publice in Purpuratorum Senatu die decima quarta Decembris habito excipiebatur, ubi convocatis Principum Legatis sermone modesto quidem, fervido tamen Synodi Tridentum revocandæ necessitatem, necnon mala, quæ ex cunctatione orirentur, exposuit, subjungens, sibi in mandatis esse datum, ut Bononiensem Synodum non esse legitimam palam profiteretur, si Papa Cæsaris voto satisfacere renueret. Pontifex equidem sæpius Legatum interpellavit, remque non sibi, sed Patribus
 adhuc-

*Pallav l. 10.
 cap. 8. n. 3.*

Sæcul. XVI
A.C. 1547.

adhucdum Tridenti hærentibus esse imputandam dixit, eoquod hi nollent, vel potius prohiberentur Bononiam adire, ut ibidem de continuandæ Synodi loco cum ceteris Patribus deliberarent: nihilominus Papa per virum, quem a secretis habebat, nuntiari jussit, se cum Cardinalibus pro negotii gravitate deliberaturum, & in proximo Patrum Senatu responsa Mendozæ redditurum: Præterea cunctos, qui aderant, eodem tempore admonuit, ne Legati oratio, ejusque postulata in tabulas referrentur, nisi prius Mendoza responsum sibi dandum percepisset, quo dato demum unicuique libere hac super re sententiam suam edicere liceret. Abeunte Legato Cardinales sententiam dicere a Papa rogati, una omnes convenere, causam ad Bononienses Patres esse referendam, eorumque arbitrio committendam, quod etiam Pontifex missis ad Patres diplomate quantocius perfecit.

§. LXXXV.

Patrum sententia per literas a Pontifice rogata.

Pallav. l. 10. c. 8. n. 5. Præfatum igitur diploma die decima sexta Decembris transmissum ad Bononienses Patres die decima octava ejusdem mensis delatum est. In eo summus

mus Pontifex recensitis omnibus hu-
 cusque gestis Montano Cardinali Lega-
 to suo præcepit, ut rem omnem Patri-
 bus exponeret, eorumque sententias
 quam celeriter Pontifici significaret.
 Montanus ergo, cum ex Cervini focii
 sui Romæ commorantis epistola hanc
 deliberationem discriminis plenam esse
 comperisset, ac insuper ipse Patrum
 nonnullos flecti nescios fuisset expertus,
 hinc Concilium necessario Romam esse
 transferendum censuit. Ex altera ve-
 ro parte satis probe prospexerat, liber-
 tatem omnino tuendam, omnemque
 violentiæ speciem sedulo esse præcaven-
 dam; nec enim ignorabat, quod non
 pauci diversis studiis, ac præcipue Cæ-
 sareæ indignationis metu incitati Syno-
 dum revocari desiderarent, invito licet
 Legato, qui verebatur, ne Cæsar, qui
 ex tribus duas Christiani Orbis partes
 suo dominio subjectas tenebat, tantam
 Tridenti potentiam, auctoritatemque
 exerceret, ut etiam Synodi, ac Patrum,
 quorum potissimi in urbe eidem obno-
 xia congregati, illius Imperio subicie-
 bantur, arbiter evaderet. Hæc Mon-
 tanus perscripsit ad Cervinum, qui ta-
 men eidem respondit, quod ipse idem
 periculum præsensisset, hujus tamen
 conventus discrimen facere oporteret,
 malis-

Sæcul. XVI.

A.C. 1547.

*Ex lit. Cerv.
 ad Mont. 21.
 Decemb.*

Sæcul. XVI
A.C. 1547. malisque inde forte emerfuris strenue
occurrendum esset.

§. LXXXVI.

*Legati sententia Bononiæ in Patrum
conventu proposita.*

*Pall. l. 10. c. 9.
n. 1. & 2.* Postridie, quam Pontificis diploma
Bononiam pervenerat, seu die de-
cima nona Decembris Legatus ad ge-
neralem Conventum Patres convoca-
vit, ac præprimis mandata Cæsaris Ma-
drutio Cardinali tradita prælegi iussit,
postea vero Cardinalium, qui hanc in
rem selecti erant, sententias recitari vo-
luit, quæ a ceteris fuerunt approbatæ,
eo duntaxat fine, ut deliberaretur, an
Synodus Tridentum revocanda esset,
vel an non id fieret: unde circa eandem
quæstionem Pontificis diploma postre-
mo proferri præcepit, ipse vero hæc
subjunxit: *Mearum partium esse arbitror,
ut in rei tam arduæ deliberatione profer-
rem in medium, quæ opportuna censerem,
ut omnes plenius edocerentur. Equidem non
modicam rationem reconciliationis Germa-
niæ, ac postulorum Cæsaris, Ferdinandi
Regis, reliquorumque Germanicæ Ordinum
habendam censeo, ast non minus l. De Con-
cilio dignitate, ac futurorum exemplo cogi-
tandum est, nam cunctis sive præsentibus,
sive absentibus, exploratum manet, qua ne-
cessi-*

cessitatis vi, qua sinceritate, libertate, potestate Synodus fuerat translata: adhuc tamen multi Episcopi Tridenti permanent, non sine gravi Concilii despectu; utpote qui & promulgato coram ipsis Decreto, & literis, quibus postea communi nomine fuerant accersiti, obtemperare noluerunt: quare ne ad posteros perniciosum hoc exemplum transmittatur, æquius videtur, quod contumaces legitimam Synodum adeant, atque agnoscant, quam quod Synodus eo commigret, ubi contumacium turmæ persistunt. II. Protestantes pollicentur quidem celebrando Tridenti Concilio se submissuros, sed de celebrato nihil loquuntur: idcirco oporteret rem dilucide explicari, planeque stabiliri, ne in novam contentionem revocanda essent præsertim Decreta Doctrinæ; quippe jam a Catholicis ubique recepta, & quæ suapte natura semel legitime pronuntiata, ac firmata, semper certa sunt ob certum sancti Spiritus assistentis afflatum, adeoque sine fidei injuria non amplius in deliberationem adduci possunt. III. Spondent quidem Protestantes, se Christianæ Synodo consensuros, sed neutiquam explicant, quid eo nomine ab ipsis intelligeretur; & videtur, eos assensuros Concilio populari, non autem Concilio vetustissimæ Ecclesiæ consuetudine ex Episcopis conflato. Expromant ergo hi sua promissa disertis verbis, quæ in varias sententias flecti non possunt, ne Synodus non tam

ab

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

Sæcul. XVI. ab illis acceptata, quam delusa videatur.
 A.C. 1547. *IV.* Tridenti libertati Concilii tutissime
 consulendum est, siue Patres sigillatim, siue
 uniuerse spectentur, adeoque Patribus nec ibi
 degere, nec inde proficisci interdicatur. *V.*
 In mandatis a Madruccio expositis indica-
 tur, Synodum diutius protrahendam; quod
 rationi consentaneum haud videtur: idcirco
 danda est opera, ut constet Patribus, inte-
 grum ipsis fore Synodum claudere, atque
 absolvere, quandocunque id opportunius vi-
 sum erit. Hæc Patres perpendant, habeant-
 que simul præ oculis Deum, Christianorum
 salutem, Concilii dignitatem, & pia Pon-
 tificis vota reconciliandæ Germaniæ, ac Cæ-
 sari, quantum fieri posset, gratificandi, pro-
 ferantque ingenue sententias, quas aura S.
 Spiritus ipsis afflabit.

§. LXXXVII.

*Exitus hujus Congregationis circa
 Concilii translationem habitæ.*

Interfuere huic conventui præter An-
 tistitem Mirapicensem morbo deten-
 tum quadraginta octo partim Archie-
 piscopi, partim Episcopi, necnon sex
 Pall. c. 9. n. 3. Religiosorum Ordinum supremi Præsi-
 des, ac duo Galliarum Regis Oratores,
 Petrus Urfeus Regius Cubicularius, ac
 Sylvarum Præfectus, necnon Michael
 Hospitalius Parisiensis Senatus Consi-
 larius,

liarius, quibus Rex Claudium Despen-
 sium Theologiæ Doctorem adjunxit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1547.

Verum ex omnibus Episcopis potissimi
 erant, qui natione Itali in Pontificis
 ditionibus suas Diœceses habebant. (*)
 Re igitur a Legato proposita, atque di-
 scussa una omnes sex exceptis Præfuli-
 bus in concordem Montani sententiam
 ivere, censentes, quod Synodus Tri-
 dentum revocari haud possit, quin ip-
 siusmet Concilii dignitati, atque existi-
 mationi grave præjudicium inferatur,
 nisi saltem Patres Tridenti hærentes
 Bononiam accederent, ac ipsimet quo-
 que hanc translationem ratam habe-
 rent; id si præstiterint, tunc in Ger-
 manorum favorem de reditu ad Triden-
 tinam Urbem agi posset, ea tamen lege,
 ut Germani idonee caverent, quod tam
 Decretis hucusque conditis, quam in
 posterum condendis sese subicere vel-
 lent; de cetero autem Patribus fidem
 esse dandam ajebant, quod idem Ordo
 antehac in Conciliis generalibus inte-
 gra

(*) Rursus luculento argumento Continua-
 toris in curia hic comprobatur; hæc enim ex
 Pallavicino transcripsit, qui tamen prorsus con-
 trarium affirmat, ita differens: *In his omnibus*
PAUCI numerabantur, qui Pontificia in di-
tionibus seu Patriam. seu Diœcesin habebant.

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. E e

Sæcul. XVI A.C 1547. gra fide servatus etiamnum adhibendus esset, cunctisque ex plurimorum sententia liberum foret, vel Synodum rursus transferre, vel eandem omnino absolvere: si argumenta, ob quæ Concilium fuit convocatum, plene definita censuerint. Ad hæc Legatus pronuntiavit, quod juxta horum sententiam nomine Concilii literæ ad Pontificem perscriberentur, eæque postera die in Patrum conventu recitarentur. Porro Episcopi, qui adversæ adhærebant sententiæ, erant Fesulanus, Motulanus, Portuensis in Lusitania, Aquinatenfis, Wigorniensis, & Venusinus, qui suæ oppositionis rationem reddebant, quamvis contrarium sensisse vix dici queat, cum nonnisi sententiam conditionibus pro Synodi reditu parum faventibus temperatam tulissent.

§. LXXXVIII.

Sex Episcopi Synodum Tridentinam revocandam censentes.

Pall. l. 10. c. 9. n. 3. & 5. Enimvero Vigorniensis Episcopus præmissis pronuntiabat, opportunam sibi videri Concilii revocationem, de cetero autem se Legati judicio committere: hac igitur ratione ferme communi ceterorum sententiæ assensit. Balthasar vero Limpus Portuensis Episcopus,

pus, necnon Galeatius Florimontius A-Sæcul. XVI,
 quini Antistes Synodi reditum compro- A.C. 1547.
 barunt quidem, hanc tamen conditio-
 nem adjecerunt, ne Decreta Tridenti
 promulgata novo subjicerentur exa-
 mini. Praccius Martellus Fesula-
 nus, & Alvarus Quadrius Venusinus
 Episcopus, qui ex Hispanis solus Bo-
 noniæ erat, omnino redeundum esse
 censuerunt. Denique Angelus Pascha-
 lis Dalmatiæ Episcopus, Tridentum ef-
 se repetendum judicavit, dummodo nul-
 la alterius rei ratione habita libertati
 Concilii cautum foret.

§. LXXXIX.

*Bononiensis Synodi Epistola ad
 Papam.*

Interea literæ, quas ad Papam trans-
 mittere sancitum fuerat, unanimi
 consensu a Massarello Synodi Secretario
 compositæ fuere, quæ etiam satis eli-
 matae in conventu die vigesima Decem-
 bris habito publice prælegebantur, non-
 nulli tamen aliqua in iis carpebant, quo-
 rum opiniones, ac dubia benignis om- Pallav. l. c.
 nino auribus excipiebantur: interim
 cuncti censebant, hanc Epistolam ad
 Legatum esse remittendam, ut non-
 nulla, prout ei bene visum fuerit, im-
 mutaret, vel corrigeret. Postera die

E e 2 hæ

Sæcul. XVI. hæc literæ latino fermone, ac Legati nomine exarratæ die vigesima prima Decembris Romam mittebantur, in quibus præprimis Synodus dilaudat Pastoralem Pontificis curam, simulque Cæsaris erga Religionem studium, ac propius, sacrique Imperii prosperitate se preces ad Deum fundere inquit. *Post hæc utrumque rogat, ut quidquid in ea causa responsum esset, boni consulant, in animum sibi inducentes, quod omnia ad incolumitatem, pacemque Christianæ Reipublicæ curandam prolata fuerint. Quamquam autem prosequerentur Triennii jam spatio Patres in Concilio gravia corporis animique, ac rei familiaris incommoda tolerassent, ob quæ durum videbatur, quod Tridentinos labores iterum subirent, cum potius Concilii exitus sperandus erat, ita jam expensis, digestisque rebus, quarum causa convocatum fuerat, ut nihil amplius deesse videretur, nisi solemnibus in Sessione Decretorum promulgatio: inter Patres tamen adest nemo, qui, ut religioso Pontificis, ac Cæsaris studio, & inclytæ Nationis Germanicæ commodis serviret, Tridentum regredi recusat, & graviora insuper ibi perpeti: si modo, dum sola Germania curatur, non ipsa Ecclesia universa per eam fortassis intempestivam migrationem, & id temporis, & in posterum, manifestis perturbationibus exponeretur.*

§. XC.

§. XC.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

Pontificis responsum in quodam Patrum Senatu ad Mendozam.

Vix Pontifex hanc Epistolam accepit, cum illico haud exspectato Purpuratorum Senatu, qui ob Dominicæ Nativitatis festum celebrari non poterat, die vigesima sexta Decembris sancto Stephano sacra Cardinales ad Sacellum suum convocaret, eisque Synodi responsum communicaret: Altera vero die vigesima septima ejusdem mensis in S. Joannis Evangelistæ Festo horis matutinis iidem Cardinales ad eundem locum convenerunt, eorumque pontificissimi Concilii responsum approbaverunt; quapropter summus Pontifex per eum, quem a secretis habuit, accersito Mendoza Oratore in hanc sententiam verba fecit, eum sic alloquens: „Quantocius tibi responsum dedissem; cum vero tu Cæsaris Domini tui mandata præsentibus cunctis Cardinalibus exposuisti, magis consonum videbatur, ut ego Purpuratorum sententias exquirerem, quod etiam nunc feci. „ Enarravit deinde Pontifex rationes, ob quas Bononiensium Patrum consilia explorare voluerit: præcipue vero commendavit diploma hanc in rem Bononi-

Pallav. l. 10. c. 10. n. 1.
Fra Paolo hist. Conc. Trid. l. 3. p. 259.

E e 3 *aliquo alio* niam

KLIV.
ati no-
na De-
n qui-
Pasto-
e Cæ-
ac pro
tate se
Post
a caus-
in ani-
d inco-
publicæ
am au-
tio Pa-
mique,
at, ob
nos la-
Concilii
ensis,
nvoca-
videre-
torum
est ne-
cæsarîs
com-
cusat,
modo,
a Ec-
npesti-
Es in
expo-
XC.

Sæcul. XVI. A C 1547. niam summa celeritate eo ex fine transmissum, ut Oratori Cæsareo satisfaceret: insuper recensuit omnia per Concilii Præsidentem gesta, necnon Patrum responsa, quæ Purpuratorum Collegio non modo rationi, sed etiam veterum Conciliorum Decretis apprime consona videbantur. His addidit summus Pontifex: *Summopere mihi cordi est Germanicæ salutis, quod omnibus, sed præ ceteris ipsi Cæsari contempertum erit ex luculentis plurimum annorum testimoniis: paratus etiam sum ad omnia boni Pastoris munera continuanda, cum mihi persuadeam, quod Cæsar, Rex ejus frater, & inclyta Germanorum natio, non alia ratione ea postulet, nisi quatenus peragi possunt absque dissidio, ac perturbatione; sed potius per pacem concordiamque reliquarum nationum, & illæsa Concilii, atque Ecclesiæ libertate.*

Quinimo nonnulli (*) a Pontifice hæc prolata referunt: *Pro paterno meo in Cæsarem & Ferdinandum affectu optarem quidem, ut potuisssem respondere eorum postulatis magis ex animi sententia, sed a Pontifice, Ecclesiæ capite, id solum expectandum est, quod provida administratio publicæ rei cogit statuere. Porro satis perspecta*

(*) Melius ac verius dixisset Continuator, quod solus mendax Paulus Sarpus hæc a Pontifice fuisse prolata referat.

*Spēda est mihi Cæsaris prudentia, & filia- Sæcul. XVI.
lis dilectio: proinde confido, quod A.C. 1547.
ea, quæ a tot Patribus necessaria judicantur,
æqui boni consulat, simulque jubeat, ut
Præsules Hispani, qui Tridenti commoran-
tur, confestim se Bononiam conferant, &
Germania conditiones a Concilio propositas
non rejiciat, suosque quamprimum Præsules
eo mittat: ac demum ut Synodo de con-
ditionibus præstandis abunde caveatur.*

§. XCI.

*Carolus Guisus accepto Romæ gale-
ro Cardinalis renuntiatus.*

Sub idem tempus Cardinalis Madru-
tius ad Patrum Senatum die decima
quarta Decembris habitum introductus
ea, quæ ei Cæsar in mandatis dedit,
exposuit, Pontifex vero eodem die Ca-
rolum Guisium Rhemensem Archiepi-
scopum Claudii Lotharingii primi Gui-
fiorum Ducis filium rubro galero deco-
ravit. Hic idem Anno Domini mille-
simo quingentesimo decimo nono die
decima septima Februarii primam lu-
cem aspexerat, jamque aliquo abhinc
tempore a Paulo III. summo Pontifice
hac dignitate auctus erat, demum vero il-
lum Henricus II. eo fine Romam able-
gavit, ut ipse a Papa galeros accipe-
re posset: Porro cum hic Archiepisco-

Sæcul. XVI. A.C. 1547. pus sermonis eloquentia, profunda eruditione, & mira non minus, ac fecunda imaginationis vi præstaret, atque ad quascunque scientias, necnon ad maximi etiam momenti negotia feliciter expedienda summe idoneus esset, hinc in eodem Patrum Senatu sermonem habuit oppido facundum, in quo Henricum II., ceterosque Franciæ Reges ejus Prædecessores summis laudibus celebravit, eorumque immotum veræ Religionis studium, atque maximum erga summos Pontifices affectum magna verborum ostentatione exaggeravit.

§. XCH.

Julius Roboreus Cardinalium Collegio adscriptus.

*Ciac. in vit.
Pontif. t. 3.
p. 730.*

Alter, quem Paulus Papa hoc anno Cardinalem nominavit, erat Julius Feltrius Roboreus, seu de Rauere, qui Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo quinto die prima, vel juxta alios quinta Aprilis natus erat, ut proin tum nonnisi duodecim annorum, trium mensium, ac paucorum dierum adolescens existeret; hæc enim Cardinalium creatio facta est die vigesima septima Julii Anno post Christum natum millesimo quingentesimo quadragésimo septimo, quamvis nonnisi anno sequenti

sequenti die nona Januarii fuisset promulgata. Porro is obtinuit titulum S. Petri ad vincula, postea vero Vicentinam Ecclesiam, ac demum sub Pio V. Ravennatem Archiepiscopatum est adeptus, ubi Concilia Provincialia celebrandi consuetudinem in ea Ecclesia per ducentos quinquaginta annos intermissam revocavit, ac Clericorum mores emendans, Ecclesie disciplinam restauravit.

Sæcul. XVI.
A. C. 1547.

§. XCIII.

Puccii Cardinalis obitus.

Hoc anno summus Pontifex nonnisi duos Purpuratorum collegio accensit, quamvis eorum quinque vivis erepti fuerint, quos inter primus erat Robertus Puccius Florentinus, Antonii filius, necnon Laurentii Puccii Cardinalis Anno millesimo quingentesimo trigesimo primo defuncti frater, ac Antonii itidem Cardinalis Anno supra millesimum quingentesimo quadragesimo quarto mortui Patruus. Robertus primam lucem aspexit Florentiæ Anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo tertio, atque in republica Florentina ob raram prudentiam, probitatem, scientiam, ac singulare æquitatis studium maxime commendatus

Ciac. p. 679.
Ughel. in
Ital. sacra.
Aubery vie
des Card.

Sæcul. XVI fuit, unde etiam supremus Vexillifer
 A. C. 1547. creatus ab Alexandro Medicæo primo
 Florentiæ Duce inter quadraginta octo
 Senatores, qui ex prima, ac illustriori
 Nobilitate seligebantur, accitus præcla-
 ra integritatis, suæque in Patriam fidei
 specimina edidit: Eleonora autem Le-
 nesia conjuge sua, ex qua filios procrea-
 verat, vivis erepta, ad Ecclesiasticam
 militiam animum adjecit, ac Romam
 delatus a Paulo III. qui hujus Viri pru-
 dentiam plurimum venerabatur, Epi-
 scopatum Pistoriensem, quem Antonius
 Cardinalis ejus Nepos dimiserat, obti-
 nuit, & paulopost ad ejusdem Nepotis
 preces Presbyteris Cardinalibus tit. SS.
 Nerei, & Achillei ultima Maji die Anno
 Salutis nostræ millesimo quingentesimo
 quadragesimo secundo adscriptus est,
 ac demum Melphiensi Episcopatu do-
 natus Majoris Pœnitentiarii munus o-
 biit, tandem Romæ die decima se-
 ptima Januarii Anno Domini millesimo
 quingentesimo quadragesimo septimo,
 ætatis vero suæ octogesimo tertio mor-
 tuus, & sepultus est in choro S. Mariæ
 supra Minervam ad pedes tumuli, in
 quo Laurentius Cardinalis ejus frater
 quiescit. Visitur etiam præter inscri-
 ptionem sepulcralem a Pandulpho le-
 gitimo ejus Filio compositam quoddam
 monumentum ad ejus memoriam Flo-
 rentiæ

rentiæ in Puccianæ Familiæ Sacello ad templum B. V. Annuntiatae erectum unacum celebri quodam epitaphio. Ceterum Ughellius testatur, quod Robertus Bellarmini Cardinalis Patrinus fuerit.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

§. XCIV.

Cardinalis Bembi extrema.

Alter erat Petrus Bembus Nobilis Venetus Bernardi Bembi, & Helenæ Marcellæ filius die vigesima octava Maji Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo septuagesimo Venetiis natus. Patrem is habuit Ravennatis Gubernatorem, cujus prudentia in variis negotiis, ac celeberrimis legationibus a Republica seligebatur, ac præcipue Anno reparatæ salutis millesimo quadringentesimo octogesimo primo militum suppeditas Sixto IV. Papæ ab Alphonsi Arragonii copiis in vaso ferre jubebatur, & postea Legatus Florentiam decretus secum Petrum Bembum Filium suum duxit, ubi hic ingenium suum Etruscæ linguæ puritate tantopere excoluit, ut illius lucubrations ob styli nitorem, ac sermonis elegantiam hodie omnium animos admiratione defixos teneant, licet non desint Scriptorum nonnulli, qui eum carpant, quod hinc, & inde ob immodicum nonnisi antiquæ latinitatis terminos adhibendi studium operibus suis

Ciac. p. 653.
Joan. de la
Casa in vita
Petri Bembi.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

fuis infalsa insperferit. Hujus rei exemplum præter plurima alia, ob quæ haud immerito redarguebatur, præprijis producunt, dum Papam Deorum immortalium favoribus fuisse electum scribit, ac beatissimam Virginem nunquam Deam appellat. Ceterum annum ætatis suæ agens vigesimum secundum Græci sermonis desiderio flagrabat, ac propterea Siciliam petens, ibidemque triennio commorans celeberrimi Constantini Luscaris Magisterio usus est: redux autem composuit Dialogum de Æthna, ubi potissimam partem hujus montis incendia descripsit. Porro errant Historici, qui Bembum tum non nisi sexdecim, aut juxta plures alios Auctores, octodecim annos natum referunt, cum eo tempore illum saltem vigesimum quartum ætatis annum attigisse constet. De cetero Ferrariam delatus ibidem sub Nicolao Leoniceno Philosophiæ curriculum emensus est, in Herculis Estensis Aula summi habitus, omnibusque gratus, ac in primis acceptus. Sub idem tempus festivis omnium applausibus celebres sermones, quos *Afolanos* inscripsit, confecit, in quibus juxta Platonis methodum facetos, præcipue Philosophicos dialogos de amore exposuit, quos *Afolanos* vocabat, mutuans nomen a quadam

1547. g. 1000
1547. g. 1000
1547. g. 1000
1547. g. 1000

dam Marchiæ Tarvisanæ arce, quæ ^{Sæcul. XVI.}
Afola dicebatur, ubi hæc colloquia fuit. ^{A. C. 1547.}
 se habita fingit. Tanto omnium applau-
 su, ut testantur Scriptores, hic liber
 ab omnibus excipiebatur, ut minus li-
 terati haberentur ii, quibus Afolanæ
 illæ disputationes essent incognitæ; re-
 enim ipsa Bembus tam latinum, quam
 Italicum carmen componendi arte præ-
 stantissimus erat, idque eidem unice-
 crimini datur, quod versus magis libe-
 ro, imo nonnunquam obscæno calamo
 conscripserit.

De cetero Bembus cubili suo ferme ^{Ciaton. l. c.}
 inclusus assidue Lectioni, ac elucubran- ^{p. 656.}
 dis libris insudabat, tandem vero Leo
 X. ad supremum Pontificatus apicem
 euectus, illum ex literaria sua solitudi-
 ne eduxit, eumque suum ab Epistolis
 Ministrum creavit, quo in munere licet
 invitatus maxima negotiorum cura, a
 qua tamen summopere abhorrebat, im-
 plicitus hæerere cogebatur, unde labo-
 rum assiduitate, ac perpetuis vigiliis
 exhaustus in gravissimum incidit mor-
 bum, quem nonnisi ægerrime eluctatus
 est. Anno Domini millesimo quingen-
 tesimo vigesimo primo salubrioris aeris
 beneficio potiturus Patavii agebat: ast
 de Pontificis obitu ibidem certior fa-
 ctus Venetias contendit, ubi inter li-
 brorum magisteria, ac literatorum com-
 mer-

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

mercia tandiu amæno fruebatur otio, donec die vigesima Decembris Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo trigesimo octavo a Paulo III. in tertia Cardinalium nominatione purpura decoraretur. Hoc dignitatis nuntio præter omnem expectationem accepto tantopere terrebatur Bembus, ut illam omnino recusare statueret, prout referunt Historici.

Volunt equidem Scriptorum nonnulli, firma tamen ratione destituti, quod Bembus, cum Episcopus Bergomensis esset, ad Cardinalium dignitatem fuerit evectus, attamen videtur vero similius, quod tum sacris nondum Ordinibus initiatus fuerit; id enim ipse in Epistola ad suorum affinium quemdam die vigesimo quarto Decembris data Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo nono hunc in modum perscripsit. „ Hisce Nativitatis Dominicæ Festis initiandus, ad sacrum „ Presbyteratus Ordinem sum promovendus, quapropter me tanto Sacrificio idoneum reddere intentus sum: „ vos autem dexteræ Excelsi mutationem in me factam admiremini. „ Suscepto igitur sacro hoc Ordine a summo Pontifice Eugubinæ Ecclesiæ præficiatur, at ea relicta Bergomensem rexit, ubi

ubi nullas probi Pastoris partes præter-
 misisse, testantur omnes. Post hæc
 idem accensebatur primo Cardinalibus
 Diaconis tit. sancti Cyriaci, postea ve-
 ro Cardinalis Presbyter tit. S. Chryso-
 goni creatus, eo dimisso titulum S. Cle-
 mentis assumpsit, ac Anno post Chri-
 stum natum millesimo quingentesimo
 quadragesimo septimo die decima octa-
 va Januarii obiit, annos natus septua-
 ginta sex, septem Menses, ac viginti
 novem dies; cum enim incautior equo
 veheretur, ac durius in ostio ad parie-
 tem offenderet, ea ex plaga in febrim,
 & tandem in tumulum incidit, sepul-
 tus in choro Ecclesiæ ad S. Mariam su-
 pra Minervam, ubi Torquatus Bembus
 ejus Filius monumentum cum sepulcra-
 li inscriptione, quæ hodie dum visitur,
 erigi jussit, atque Hieronymus Quirinus
 Patavii in celeberrimis D. Antonii ædi-
 bus mortuo statuas poni curavit. Ejus
 vitæ Historiam conscripsit Joannes de
 Casa, qui etiam cuncta illius opera
 exacte recensuit, inter quæ præter alia
 carmina Italo sermone conscripta poe-
 ma reperitur ab eo de Fratris sui Caroli
 obitu compositum, quod absque contro-
 versia ceteris omnibus palmam eripit, a-
 deo, ut merito affirmari possit, quod ni-
 hil elegantius, nihilque tenerrimum af-
 fectum magis comprobans perlegi pos-
 sit.

Sæcul. XVI.
 A.C. 1547.

Ciacon. l. c.
 p. 657. 658.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

fit. Nihilominus merito redarguitur, quod in eo sensu, quo intelligi voluit, Christum Dominum appellarit Heroem; insuper de Dei Verbo quandoque minus reverenter scripsisse insimulatur. Præter hæc, cum nondum Cardinalitia dignitate fulgeret, literas, nomine Leonis X. cui a secretis erat, a se scriptas divulgavit, earumque collectionem Paulo III. tum Romanam Ecclesiam gubernanti nuncupavit, eumque scientiarum prærogativa Leone X. longe superiorem deprædicavit: verum hoc elogium minus gratis auribus exceptum immodicæ adulationis, necnon animi erga suum benefactorem admodum ingrati vitio adscribebatur, qua exprobratione Bembus magis commotus, ut culpam a se amoveret, ita respondit:

„ Paulum III. Leone priorem habui,
 „ sed unice ob præstantiam humaniorum
 „ literarum, quarum profundam
 „ cognitionem assequi Leo X. temporum
 „ iniquitate prohibebatur, qui certo
 „ adspirante æquioris ævi opportunitate
 „ ingentes in illis quoque progressus
 „ fecisset: Interim nec unquam,
 „ quis horum alteri prudentia, constantia,
 „ benignitate, ac liberalitate potior
 „ fuerit, decidere præsumpsi,
 „ quamvis alioquin Paulum III. eruditionis
 „ laude Leoni X. prævaluisse,
 „ haud

„ haud ægre deprehendi valeat, nihi- ^{Sæcul. XVI.}
 „ lominus me Beneficiorum, quæ a ^{A.C. 1547.}
 „ Leone X. accepi, immemorem fuisse
 „ non arbitror, fateor tamen, me a
 „ Paulo III. pluribus adhuc favoribus
 „ fuisse cumulatum. „ Porro prius-
 quam hasce literas divulgasset, Vene-
 tus decem Senatorum Magistratus, de-
 functo Navagero, Bembum impulit,
 ut Anno Salutis nostræ millesimo quin-
 gentesimo trigesimo Reipublicæ Histo-
 riam conscriberet, quam, morte præ-
 ventus, perficere haud poterat. Equi-
 dem hic labor præcipue Viro jamjam
 sexagenario permolestus accidit, ac a-
 liunde Bembus nullum sibi subsidium
 polliceri poterat ex Navageri commen-
 tariis, quæ ipse morti proximus igne
 comburi iusserat, nihilominus maluit
 Bembus sese huic molestiæ exponere,
 quam hoc obsequii genus Patriæ suæ
 denegare: eapropter primam huic ope-
 ri manum admovit Anno post Christum
 natum millesimo quadringentesimo o-
 ctogesimo sexto, seu circiter eo a tem-
 pore, quo Sabellicus suam historiam
 absolvit, Bembus eam inchoavit, at-
 que usque ad Julii II. obitum perduxit.

§. XCV.

Hist. Eccles. Tom. XXXIX.

F f

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. XCV.

Ardinghelli Cardinalis mors.

Ciac. p. 704. *Ughell. in* *add. ad Ciac.* *Et Ital. sacr.* *Aubery l. c.* **T**ertius ex Cardinalibus, qui hoc anno decesserunt, erat Nicolaus Ardinghellus Petri filius ex nobilissimo Florentinorum genere Anno Salvatoris nostri millesimo quingentesimo tertio natus. Hic generis sui nobilitatem rara pietate, ac singulari virtutum studio magis adhuc conspicuam reddebat, latina insuper, ac græca lingua apprime excultus juris utriusque peritia inclarescebat, unde Alexandro Farnesio in paucis carus ab eodem, cum vix Pontificatum sub nomine Pauli III. esset adeptus, mox ipsius Nepoti Cardinali a secretis adjuungebatur, quo munere functus Florentiæ Canonicus, necnon Marchiæ Anconitanæ Vicarius, ac denique Fossempronienfis Episcopus fuit nominatus. Postea cum Farnesio Cardinale Legato Hispaniam, & Gallias peragravit, indeque Romam reversus in meriti, ac obsequii præmium Anno a Christi Nativitate millesimo quingentesimo quadragesimo quarto Cardinalis tit. S. Apollinaris creatus est, qua tamen dignitate nonnisi triennio potitus, in medio honorum cursu, feria tertia, die vigesima tertia Augusti, Anno

Anno Domini millesimo quingentesimo quadragesimo septimo, atque ætatis suæ nonnisi quadragesimo quarto morte interceptus est. Corpus ejus sepultum quiescit in Ecclesia S. Mariæ supra Miner-
vam, ubi Alexander Ruspoli ejus Avun-
culus ex Bartholomæo Ruspoli, ac Ma-
ria Ardinghella natus monumentum e-
rigi, ac sepulcrale elogium Anno Chri-
sti millesimo quingentesimo primo in-
sculpi curavit. Scripsit Nicolaus quas-
dam epistolas Cardinalis Farnesii nomi-
ne, cui a secretis erat: insuper reliquit
librum *de negotiatione sua pro pace ineun-
da inter Franciscum I. & Carolum V.*

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

§. XCVI.

Badia Cardinalis fata.

Quartus erat Thomas Badia Mutinen-
sis, Ordinis FF. Prædicatorum, quos inter non minus eruditione, quam
vitæ sanctitate, animique candore in-
signis, cum ingenti nominis sui fama
Theologiam tradidit, progressu autem
temporis Magister sacri Palatii, ac supre-
mus Inquisitor renunciatus est; demum
vero a Paulo III. die ultima Maji anno mil-
lesimo quingentesimo quadragesimo se-
cundo in meriti sui præmium Cardina-
lis tit. S. Sylvestri in Campo Martio
nominatus fuit: cujus tamen dignita-
tis amplitudo nullatenus vitæ illius in-

*Ciac. p. 685.
Echard.
Script. Ord.
Præd. t. 2.
p. 132.*

F f 2

tegr-

Sæcul. XVI. tegritatem, quam antea coluerat, im-
A C. 1547. mutavit; nam semper religiosæ disci-
 plinæ studiosissimus tanquam Cardina-
 lis purpuram sine fastu gestavit, ac uni-
 ce pervolvendis libris, & contemplan-
 dis divinis Mysteriis intentus, sancti re-
 ligiosi vitam egit, & tandem Romæ die
 sexta Septembris Anno Cardinalatus
 sui sexto, ætatis vero ferme sexagesimo
 quarto animam Deo reddidit, sepultus
 in ædibus B. Virginis supra Minervam
 prope tumulum Cardinalis Cajetani,
 qui ejusdem Instituti Alumnus erat.
 Legitur illius epitaphium Ecclesiæ pa-
 rieti affixum, quod Franciscus Badia
 ejus Frater apponi curavit. Cardina-
 lis hic inter cetera ingenii sui monu-
 menta posteris reliquit librum de Phy-
 siccis, & Metaphysicis quæstionibus,
 necnon commentarium in octo libros
 Physicorum Aristotelis: præterea con-
 scripsit alium quoque librum de ani-
 ma, & in libros Metaphysicorum com-
 mentatus est præter tractatum de
 Providentia Dei. Asservantur horum
 operum Codices manu exarrati Flo-
 rentiæ in Bibliotheca Fratrum Prædica-
 torum.

§. XCVII.

Cardinalis Sadoletus mortuus.

Postremus, ac numero quintus inter
 Cardi-

Cardinales hoc anno vivis ereptos Sæcul. XVI.
 erat Jacobus Sadoletus Mutinæ Anno A.C. 1547.
 Salutis nostræ millesimo quadringente-
 simo septuagesimo sexto natus. Pa-
 trem is habuit Jacobum Sadoletum, qui Ciac. p. 510.
 ab Hercule Estensi Duce Ferrariam ac- Sixt. Sen. in
 citus ibidem Jurisprudentiam tradidit, Bibl. Sanct.
 ac plurimum gratia, & auctoritate va- Possev in Ap-
 luit; cum autem præfatus Dux pro parat.
 imbuendis tam incolis, quam exteris, Bellarmin. de
 vel eo confluentibus, vel ibidem sedem Script. Eccl.
 figentibus omnium liberalium artium
 Magistros ad hanc urbem accerferet,
 hinc juvenis Sadoletus Nicolai Leoni-
 ceni Magisterio usus Philosophiæ ope-
 ram non sine ingenti progressu navabat,
 ac græci, & Latini idiomatis peritia
 clarus etiam Poetices, cui natus esse
 videbatur, studiosus erat. Postea a Pa-
 tre suo sub Alexandri VI. Pontificatu
 Romam missus, ac Oliverii Caraffæ li-
 teratorum fautoris benevolentia ho-
 noratus, ab eodem suis familiaribus
 accensebatur, ibidemque duobus Viris
 eruditione clarissimis Friderico Fregosio
 tum Salernitano Episcopo, ac Petro
 Bembo Cardinali, cujus supra memini-
 mus, amicitia junctus aliquamdiu vi-
 vebat, aliquo tamen post tempore a
 Leone X. Papa magni habitus conscri-
 bendis literis Apostolicis præfectus est,
 eoquod illa ætate styli elegantia, ac

Sæcul. XVI. scribendi facilitate nemo alius illum fu-
A C. 1547. peraret. Ceterum quamvis Theologiæ
 simul, ac Eloquentiæ, Philosophiæ,
 artisque poeticæ peritia insignis esset,
 hæ tamen præclaræ ingenii dotes adeo
 non Sadoletæ ambitionem, vel proprii
 quæstus studium inspirare poterant, ut
 Religionis causa ad Lauretanæ Vir-
 ginis templum profectus, quamvis mu-
 neris sui, ac gratiæ, qua apud Papam
 pollebat, opportunitate plurimas digni-
 tates, ac beneficia aucupari posset, Car-
 pentoratensem Episcopatum in Avenio-
 nensi Comitatu sibi a Leone X. oblatum
 recusaverit, ac nonnisi speciali Ponti-
 ficis mandato compulsus illum acce-
 ptaverit.

Mortuo demum hoc Pontifice ad E-
 piscopatum suum secessit, eo fine, ut
 populo fidei suæ credito boni, ac vigi-
 lis Episcopi Officium impenderet. Ve-
 rum a Clemente VII., qui Adriano VI.
 Pontifici successerat, Romam revocatus
 ea duntaxat conditione morem gessit,
 ut evoluto absentiae suæ anno ad Eccle-
 siam suam redire posset, quod etiam
 fideliter executus est, ac in reditu Lug-
 dunum pertransiit, ubi Franciscum I.
 Galliarum Regem veneratus ab eodem
 singularibus benevolentiae signis exce-
 ptus est. Anno demum millesimo quin-
 gentesimo trigesimo quarto a Paulo III.
 Clemen-

Clementis VII. Successore rursus Ro-^{Sæcul XVI.}
 mam accersitus, suam Ecclesiam dese- A.C. 1547.
 rere coactus est, atque Pontificem Ni-
 ciam usque comitatus ab eodem pro
 concilianda pace Carolum Cæsarem in-
 ter, & Franciscum I. Legatus in Gal-
 lias decernebatur, quam legationem
 tam prospero successu obibat, ut in la-
 boris sui, ac operæ præmium ab eo-
 dem Pontifice die vigesima Decembris
 Anno Domini millesimo quingentesimo
 trigesimo sexto Cardinalium purpura
 decoraretur, qua dignitate insignis po-
 stea Parmæ interfuit colloquio Pontifi-
 cis cum Carolo Cæsare: ast postremis
 vitæ suæ diebus, ac ingravescente mor-
 bo Episcopatum suum dimisit, eumque
 Paulo Sadoletto Nepoti suo cedens Ro-
 mam sese recepit, ubi etiam die decima
 octava Octobris Anno Christi millesimo
 quingentesimo quadragesimo septimo,
 satis functus est, postquam septuaginta
 annos, tres menses, ac sex dies vixis-
 set. Corpus ejus sepultum est sine ulla
 funeris pompa, ut ipse testamento ca-
 verat, in ædibus S. Petri ad vincula,
 cujus titulum gesserat, ubi hodiedum
 visitur illius epitaphium tumulo incisum.
 Hujus Viri merita Cardinalis Caraffa
 præsentē summo Pontifice luculenta o-
 ratione funebri deprædicavit, aliam ve-

Sæc. XVI. ro habuit in S. Laurentii ædibus Jaco-
A.C. 1547. bus Gallus.

§. XCVIII.

Hujus Cardinalis opera.

Plura ingenii sui monumenta reliquit hic Cardinalis, ac præprimis commentarium in epistolam D. Pauli ad Romanos, in tres libros divisum, qui primo Basileæ Frobeni expensis, ac secundo prælo Lugduni Anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo sexto typis impressi prodierunt. Insuper scripsit præter moralem in Psalmum quinquagesimum, & nonagesimum tertium expositionem etiam epistolam de reformanda Ecclesia ad Senatum, populumque Genevensem datam, quæ unacum Calvini responso, cujus antea meminimus, typis impressa exstat. Ad Posteriores quoque transmisit exhortationem Catholicam ad Principes, ac Germaniæ populos, necnon librum de Purgatorio nondum typis vulgatum. Inter cetera vero ejus opera recensentur I. duo libri *de pueris rite, ac liberaliter educandis.* II. tractatus de laudibus Philosophiæ. III. Duo sermones de Hungariæ Regno a Turcis oppresso. IV. *Philosophicæ consolationes, ac meditationes in adversis.* V. Unica ad Paulum Sado-

Sadoletum Nepotem suum epistola. VI. Sæcul. XVI.
 Quædam contra Lutherum, & Lutheranos oratio. VII. Aliquot opuscula
 de peccato originali, ac de tranquillitate vitæ, necnon de Ecclesiæ Catholicæ defensione, ac de Sacramentis contra Lutherum, quem tamen tractatum ab ejus opusculo pro defensione Ecclesiæ haud diversum esse autumant nonnulli. Denique scripsit homeliam de obitu Frederici Fregosii Cardinalis. De cetero stylo utebatur, qui Ciceronis, omniumque illorum, qui ea ætate latini sermonis puritatem revocare nitebantur, elegantissimis proxime accedit; nec minus concinno calamo poemata conscripsit Sadoletus, qui indole mitis, ac moderatus, æquitatis, pacisque, ac præcipue reformandæ disciplinæ studiosus merito ab omnibus deprædicatur.

§. XCIX.

Francisci Vatabli obitus.

Hoc item anno obiit Franciscus Vatablus, seu Watebleus Gamachii^{3. n. 8.} in quodam Picardiæ oppido natus. Hic^{Rob. Steph. præf. ad annot. Vatabli.} suo ævo Hebraicæ linguæ longe peritissimus a Francisco I., qui Anno millessimo quingentesimo trigesimo primo^{Dupin. Bibl. XVI. siecle t. 14. p. 175.} Parisiis Regium collegium hodie adhuc percelebre erexerat, ad tradendum idio-

Sæcul. XVI. ma Hebraicum accersitus fuit, cujus
A.C. 1547. peritiam ipsimet Hebræi certatim con-
 fluentes admirabantur: non enim dun-
 taxat hebraica verba Grammaticorum
 more interpretatus est, sed ipsum etiam
 literalem hebraici textus sensum paucis
 quidem, iis tamen omnino propriis ver-
 bis explanavit, unde suorum Auditorum
 nonnulli illius in sacros Codices
 annotationes sedulo collegerunt, eas-
 que celebris typographus Robertus Ste-
 phanus in quamdam epitomen redegit,
 quam novæ Bibliorum versioni, quæ
 Leoni Judæ adscribitur, adjunxit, ac
 Parisiis Anno Christi millesimo quin-
 gentesimo quadragésimo quinto penes
 Vulgatæ textum excudi curavit. Hic
 idem in sua præfatione fatetur, quod
 hæ annotationes, si ab ipsomet Veta-
 blo fuissent editæ, abs dubio magis se-
 lectæ, magisque genuinæ forent: ve-
 rum doctus hic Author nihil unquam
 de sacris Literis scripserat, sive natu-
 rali pigritia, quæ ei exprobrata est,
 sive morte præventus; obiit enim die
 decima septima Martii Anno post Chri-
 stum natum millesimo quingentesimo
 quadragésimo septimo.

Equidem hæ annotationes in Vetus
 Testamentum potissimam partem ex Va-
 tabli ore profluxerant, cum vero a Cal-
 vino

vino fuerint depravatæ, locusque editionis esset suspectus, eisque cuiusdam hæretici versio, ac quædam verba nimium libera adjungerentur, hinc eadem Parisiensis Facultas Theologica condemnavit, quamvis Universitatis Salmanticensis Doctores huic operi magis faverent, illudque accedente approbatione typis imprimi curarent. Insuper Robertus Stephanus hasce annotationes adversus Parisiensium Theologorum censuram propugnabat; cum autem Vatablus earum editione offensus coram Iudice, ut fertur, de Roberto Stephano quereretur, hinc typographus iste, cum se reum agnosceret, ac aliunde de hæresi suspectus esset, e Francia excedere, ac Genuam profugere compulsus est.

Ceterum Vatablus Græci pariter sermonis oppido gnarus erat, prout testantur plura Aristotelis opera ab eo latine reddita, ac præcipue hujus Philosophi tractatus typis impressus, cui titulus: *Parva naturalia*. Idem quoque Vatablus Clementi Marotto, ut Davidis Psalmos gallicis rhythmis explanaret, auctor existit, eidemque in hujus operis elucubratione non infimam tulit operam, dum ex hebraico textum de verbo ad verbum transferret. Porro morte sublatus vacantem Ordinis Præmonstraten-

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

Sæcul. XVI. stratensium Abbatiam Bellozanæ in Nor-
 A.C. 1547. mania media leuca a Gurnaja diffitam
 reliquit.

§. C.

*Vatabli annotationes a Parisina Fa-
 cultate Theologica damnata.*

*Argentre
 coll. iud. to. 2.
 p. 144.*

Præprimis Parisiensis Facultas Theo-
 gica die decima nona Octobris An-
 no Domini millesimo quingentesimo
 quadragesimo septimo conventum ha-
 buit, in quo Vatabli annotationes in sa-
 crum Codicem censuris perstrinxit, ac
 præprimis articulos ex Roberti Step-
 hani Bibliis extractos, necnon Fontisbel-
 laquei Mense Novembri Regio Senatui
 porrectos prælegit, ceteros vero non-
 nisi anno sequenti trigesima Aprilis die
 damnavit, eosque ad Henricum II. Re-
 gem pariter transmisit. Porro Facultas
 hoc opus Regis, ac secretioris consilii
 jussu se examinasse testatur, atque
 annotationes figillatim enumerans,
 quamlibet speciatim censura admodum
 prolixa perstringit, ostenditque, quod iis
 multa contra bonos mores, religionis pie-
 tatem, sanctorum Patrum decreta, ac ipsius
 fidei placita temerarie inserta sunt, necnon
 multa erronea scandalum inducentia, impia,
 Lutheranis faventia, hæresibusque iam olim
 damnatis conspirantia, immo in nonnullis
 quædam

quædam aperte hæretica, atque etiam blasphemata inspergantur. His addidit, quod in ipso dictorum Bibliorum contextu multa ausu temerario quandoque immutentur & quædam sæpe minuuntur, quandoque adjiciantur haud pauca præter Germanam, & ab Ecclesia hætenus receptam lectionem.

Postea satis amplum exhibet Catalogum, in quo errores, atque hallucinationes in commentariis, notis marginalibus, ac novi Testamenti textu deprehensas enumerat. Denique censuram absolvit condemnando propositiones quasdam circa Eucharistiam, Confessionem Sacramentalem, delectum ciborum, ac dierum, justificationem, pias actiones, traditiones humanas, S. Imagines, invocationem Sanctorum, Evangelium, Eleemosynam pro defunctis, fidem, ac timorem.

S. CI.

Beati Rhenani mors.

Alter ex Scriptoribus, qui hoc anno vivis erepti sunt, erat Beatus, seu Bildius Rhenanus natione Germanus, qui primam lucem aspexit Scelestadii in Alsatia Anno Christi millesimo quadringentesimo octogesimo quinto, & patrem habuit Antonium Bild, cognomento *Rhenanum*, eo quod relicto Rhenano oppido Selestadii sedem fixisset. Ejus Filius

Thou hist.
l. 3. n. 8.
Vossius de
Histor. Latin.
lib. 3. c. 10.

Sæcul XVI
A.C. 1547.

Filius inter Literatos haud infimo loco recensendus in humanioribus literis, ac veteri Theologia apprime erat versatus, insuper indole adeo moderata, pacisque studiosa præditus, ut in exquisendis mediis ad concilianda Religionis diffidia confenesceret, unde arcta amicitia junctus erat Erasmo, qui eodem profus concordiae studio, ac amore agebatur. Porro Rhenanus potissimos Tertulliani tractatus notis, ac præfationibus illustravit, hujusque Auctoris opera rursus typis edi curavit. Celebrantur plurimum illius annotationes, utpote ad abstrusiores voces, ac loquendi modos rite intelligendos percommodæ: nec minus illius præfationes tanquam sapientia, ac scientia insignes deprædicantur. In ea, quam tractatui de Pœnitentia præfixit, non sine ingenti eruditionis ubertate de Exomologesi differit. Scripsit quoque versionem duarum epistolarum S. Gregorii Nazianzeni ad Themistium, necnon præfationem ad Origenis opera, præter sermonem adversus Marsilii Patavini Apologiam pro Ludovico Bavaro, in quo vehementer invehitur in eos, qui Romanæ Ecclesiæ bona usurpant. Denique elucubravit præfationem in Erasmi opera, nec non quamdam Illyriæ provinciarum descriptionem edidit.

Pari-

Pariter inter profanos Scriptores Sæc. XVI.
A.C. 1547.
Plinium, Titum, Livium, Tacitum, Senecam, Theophrasten, & Vellejum Paterculum præcipue notis illustravit, ac duos illius libros primus ipse typis vulgaverat. Insuper elucubravit elegantissimam Germaniæ Historiam, quæ Anno Christi millesimo quingentesimo trigesimo primo publicam lucem aspexit: ipse vero obiit Rhenanus Argentinæ Anno supra millesimum quingentesimo quadragesimo septimo, annos natus circiter sexaginta duos. Ceterum nec conjugii vinculis, nec publicorum officiorum oneribus unquam sese subicere voluit, & locupletissimam suam Bibliothecam Selestadiensi urbi, in qua natus erat, dono reliquit.

§. CII.

Scriptorum alii hoc anno mortui.

Eodem die, quo Vatablus obiit, etiam Thoul 3. n. 8.
Spond. ad
hunc an. n. 28.
Vossius Ma-
them p. 451.
Crusius in
annal. Suev.
Melch. Adams
in vita Germ.
Jurisc.
Gesner, in
Bibl.
Parisiis decessit Jacobus Tuffanus Rhenensis, qui ambo eadem die in Regionum Professorum collegium fuere adoptati & hic quidem Græcum, alter vero hebraicum idioma docuit. Præterea Joannes Schonner Germanus Carolstadii natus Norimbergæ, ubi sedem fixerat, hoc item anno mortalitatem exiit, postquam sexagesimum secundum ætatis suæ

finem quarti sæculi sub Imperio Theodofii Magni concinnatam, in qua indicantur itinera, quæ per potiffimam Imperii Occidentalis partem Romanorum copiarum tum tenebant. Hæc tabula ideo a docto hoc Auctore nomen adeptæ est, eo quod hic illius possessor eandem cum ingenti sollicitudine conservasset, eamque quadragesimo post illius obitum anno Marcus Velferus edi curasset. Ceterum Peutingerus posteris reliquit quam plurima opuscula, atque inter alia *sermones convivales &c.*

Sæcul. XVI:
A.C. 1547.

§. CIII.

Barbarossæ Piratæ extrema.

Mense Majo ejusdem Anni Turcicum Imperium amisit celebrem Barbarossam Algeriæ Regem, ac supremum suæ classis Præfectum. Hic reficiendæ classi suæ, novisque ædificandis ad navalia triremibus maxime intentus Constantinopoli octogenario major morte sublatus est, ejusque jacturam Solimanus summo dolore percipiens, eidem Droghatum in classis imperio suffecit.

§. CIV.

Ferdinandi Cortesii obitus.

Hoc item anno naturæ debitum solvit Fernandus, seu Ferdinandus *Thou 1. c. Spond. 29.*
Hist. Eccles. Tom. XXXIX. G g Cor-

Sæcul. XVI. Cortesius præclaris conspicuus victo-
A.C. 1547. riis, quibus Mexicanam Provinciam,
 atque Anno millesimo quingentesimo
 decimo nono, & subsequens novam
 Hispaniam subegit. Filius is erat cu-
 jusdam Nobilis Martini Cortesii, ac Ca-
 tharinæ de Pizara Altamirana, atque
 ad militiam natus literarum exercitia
 velut jugum haud ferendum reputa-
 bat, unde vix per biennium Salmanticæ
 emenso studiorum curriculo, Musas fa-
 stidire cæpit, easque valere iussit, & na-
 tivæ propensionis suæ stimulos secu-
 tus Anno Domini millesimo quingen-
 tesimo quarto ad Indos profectus est,
 atque ab Insula S. Dominici, ubi aliquan-
 diu substitit, Cubam contendit, non sine
 prospero navigationis suæ successu;
 quippe Franciscæ Suareræ Pocheæ
 connubio junctus primo in urbe S. Ja-
 cobi Urbanus Præfectus, & postea Ar-
 chitalassus creatus est eiusdem classis,
 quam Didacus Velasquez Cubanæ In-
 sulæ Gubernator ad detegendas novas
 Provincias destinaverat. Hisce expe-
 ditionibus feliciter peractis Cortesius
 Urbem, cui nomen Vera-Crux, condi-
 dit, Indisque gemino prælio devictis, ac
 mortuo Montezuma Guetimosinum Im-
 peratorem captum abstraxit, ac Mexi-
 canam Provinciam armis suis subiecit.
 Demum victor in patriam reversus die
 secun-

secunda Decembris Castellejæ de Cuesta prope Hispalin vitæ suæ finem imposuit, annos natus sexaginta tres.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

§. CV.

Mexicanus Archiepiscopatus a Paulo III. erectus.

Referunt Historici, quod Cortesio occasione præbente summus Pontifex ad Cæsaris preces cunctas Cathedralis novæ Hispaniæ, atque Indiarum Occidentalium Ecclesias ab Hispalensis Metropolitanæ Sedis, cui suberant, jurisdictione Archiepiscopo consentiente disjunxerit, atque in nobilioribus hujus Provinciæ urbibus novos erexit Episcopatus: Inde ergo hoc anno Christi millesimo quingentesimo quadragésimo septimo Mexicanus Archiepiscopatus ortum duxit, cujus Episcopi Suffraganei sunt, Guatimalanus, Mechocacanus, Angelopolitanus, Emeridanus, Guaxacanus, Nicaragiensis, Guadalajaranus, Chiapanensis, Vera-Pacensis, Durangensis, ac Sanctæ-Fidei. Hic idem Archiepiscopatus a meridie ad septentrionem ad centum triginta quinque leucas excurrit, latitudine vero sua ab Oriente ad Occidentem sexaginta complectitur, pluresque exiguas

Henri Martini. hist. nat. de la Nueva Espag.

A Costa l. 7.

Oviedo l. 17.

Gg 2

Pro-

Sæcul. XVI. Provincias, in quibus mediis iacet Me-
A.C. 1547. xicum, in suo ambitu continet.

§. CVI.

Petri Martyris initia.

Sander hist.
Schism. 1, 2.

Sub idem ferme tempus Vermilius sub nomine Petri Martyris magis cognitus in Angliam migravit. Natus erat is Florentiæ die octava Septembris Anno reparatæ salutis millesimo quingentesimo, atque in Monasterio Fesulano prope præfatam Urbem Canonico-regularium S. Augustini institutum amplexus est, cumque Græcæ, & Hebraicæ linguæ peritia insignis esset, ac propter innatam Eloquentiam in præcipuis Italiæ urbibus conciones magno auditorum concursu, atque applausu haberet, velut Ordinis sui Princeps, ac Verbi Divini Præco longe celeberrimus æstimabatur. Verum Neapoli quosdam Zwinglii, ac Bucerii (*) libros perlegens

(*) Hæc quidem Continuator ex Spodano ad hunc annum num. 21. defloravit, omisit tamen *Erasmi* nomen addere; parum enim honori hujus Scriptoris, quem ipse semper tanquam apprime Catholicum venditabat, famæ consultum iri censebat, si ex illius libris, ac eorum lectione quemdam seductum
 atque

legens sensim a vera fide deviare cæpit, ^{Sæc. XVI.}
 penitus autem ad amplectendas novæ ^{A.C. 1547.}
 reformationis opiniones permovebatur
 ex crebris cum Joanne Valdesio Ju-
 risconsulto Hispano colloquiis : hinc
 Romæ accusatus, sed brevi amicorum
 opera liberatus paulopost Neapoli ex-
 cessit, Lucam profectus ad Ordinis sui
 Monasterium, cui ipse aliquando præ-
 fuit, ibi autem seductis pluribus Laicis
 etiam impietatis suæ, ac defectionis a
 vera fide socios sibi accersivit Emanue-
 lem Tremelium, Celsum Martinen-
 gum, Paulum Lascium, & Hierony-
 mum Zanchium.

§. CVII.

*Virmilius a Cranmero Cantuariensi
 Archiepiscopo in Angliam
 evocatus.*

Cum interea Petrus, qui se Martyrem ^{Sleid. com.}
 dicebat, comperisset, quod Paulus ^{lib. 19. p. 690.}
 III. a colloquio Buxeti cum Carolo
 Cæsare habito rediens Lucam per-
 transiturus esset, unacum sociis suis ex
 urbe auffugit, apud Hæreticos asylum
 inventurus. Ergo primo Tigurum, po-
 stea Basileam pervenit; cum autem in
 G g 3 hisce

atque ad hæresin pertractum ingenue fate-
 retur.

Sæcul.XVI. A.C.1547. hisce urbibus minus benigne excipere-
tur, suadente Bucero Argentinam con-
tendit, ibidemque adolescentem quam-
dam nomine Catharinam, quæ ob vitæ
licentioris cupidinem de suo Monasterio
excessit, sibi sacrilegis nuptiis copula-
vit, atque Argentinæ publice præle-
gens ibidem usque ad Annum Domini
millesimum quingentesimum quadrage-
simum septimum perstitit, quo tamen
anno Eduardi Regis nomine ab Archi-
episcopo Cantuariensi accersitus An-
gliam petiit, ubi unacum pellice sua ex-
eunte Mense Novembri pervenit, ac U-
niversitatis Oxoniensis Professor Theo-
logiam tradidit.

§. CVIII.

*Bernardinus Ochinus Petrum Mar-
tyrem in Angliam euntem
comitatus.*

*Sander. l. 2.
Florim.
Ræm. l. 3.
cap. 5. n. 4.*

Huic hæretico ex Italia discedenti iti-
neris socius erat Bernardinus Ochi-
nus, qui olim supremus FF. Capucci-
norum Præpositus Generalis a fide Ca-
tholica defecerat. Hic fidei Desertor
profanam vestem Ferrariæ indutus Ge-
nevam contendit, ac tandem in An-
gliam unacum amico suo appulsus ibi-
dem eandem jactitabat eloquentiam,
propter quam inter celebriores Italiæ
Prædi-

Prædicatores ante suam defectionem recensetur; unde non paucorum aviditatem tam ex Aulicis, quam ex populo acuebat, præcipue vero ex mulieribus, quæ novis, ac curiosis doctrinis nullo ferme negotio sese seduci patiebantur. His accessit, quod etiam pueri, ac puellæ tam ad Ochini, quam Petri Martyris sermones, ac lectiones accedere, singulisque diebus auscultare compellerentur. Post hæc novi hi Doctores vanis plebeculæ applausibus inflati haud ultra contenti erant, ut suas impietates in vulgus spargerent, sed etiam suis ingenii dotibus ad nequitiam abusi ferme omnium errorum, quos audacter effutiebant, assensum a suis Auditoribus extorquere nitebantur; unde in omnium pene animis sub falso Christianæ libertatis tandem revocandæ obtentu maximam disputandi aviditatem, atque insanum sublimissima mysteria perscrutandi desiderium excitarunt, hocque artificio incauta juvenus nullo negotio confessionem, Pœnitentiam, jejunium, aliosque sacros Ecclesiæ ritus vilipendere cæpit, moxque sacram Synaxin sub duplici specie suscipiendi, cultumque Divinum publice in lingua vulgari peragendi usus invaluit.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

§. CIX.

*Sinistra Calvini fors apud Gene-
venses.*

*Beza in vita
Calvini ad
hunc ann.
1547.*

*Mainburg.
hist. Calvinif.
mi l. I. p. 116.
Florim. l. c.
l. 7. c. 17.*

Interea Calvinus Germaniæ Protestan-
tium cladem summo animi mærore
perceperat, veritus, ne spurix reformati-
oni extremum inde exitium immine-
ret, verum tandem respirare cæperat,
cum hæresin in Anglia latius diffundi
intelligeret. Hucusque semper quidem
Genevæ hærebat, licet anxiiis semper
curis jactatus, eo quod in superhabita, qua
in hac urbe valebat, auctoritate non
deessent adversariorum non pauci, qui
ipsius agendi rationem damnarent. Ex
his nemo vehementius illum hoc, ac se-
quenti anno infectabatur, quam Ama-
dæus Perrinus, qui olim præfatæ urbis
supremus erat Præfectus. Hic Cal-
vinum coram universo Senatu accusa-
bat, quod falsas opiniones traderet, at-
que Doctrina erroribus referta populum
seduceret: verum adeo prævaluit Cal-
vini potentia, ut ejus opera Perrinus
tanquam calumniator plecteretur, ac duo
Ministri, qui Perrinum ad hanc accusa-
tionem impellebant, suo munere exue-
rentur. Hac victoria Calvinus ferocior
factus majori adhuc pertinacia suis o-
pinionibus institit, cunctosque, quos a-
more vincere non poterat, metu ad suum
obse-

obsequium compulit; inde vero factum, Sæcul. XVI.
A. C. 1547.
ut Indies magis, magisque sese præcipitem daret in horrendam malorum abyssum, quam jam dudum suis erroribus nimium profundam sibi reddiderat, haud aliud sibi polliceri valens, nisi quod tandem Deo vindice in eadem abyssu extremum sibimetipsi exitium paraturus esset.

§. CX.

Societatis a D. Ignatio Loyola erectæ incrementa.

Sub idem tempus Sanctus Ignatius nascens suæ Congregationis auspiciis *Orland. Hist.
Societ. l. 7. m. 3*
Romæ sedulo promovere intentus erat. Jamjam ferme omnes in ampla hac urbe dignitatibus conspicui auxiliatrices Ignatio manus præbebant, quos inter Joannes Vega Caroli Cæsaris apud Papam Legatus Ignatium, ejusque Socios datis literis Philippo Archinto Salutiarum Episcopo commendabat, moxque præfatus Præsul Joanni respondit, quod commendatitiæ illius literæ sibi admodum gratæ accidissent, eo potissimum nomine, quod ipse hanc societatem, ejusque Præpositum magni haberet, illisque obsequendi voluntate haud inferior esse vellet. Pariter Mendoza Cardinalis, ac postea Burgenfis Episcopus,

G g 5

ut

Sæcul. XVI. ut sui Zeli, atque affectus specimina Ignatio exhiberet, Salmanticæ Collegium condere, illudque Jesuitis donare statuit, quam in rem ad Michaellem Turrianum, qui in urbe ceteris auctoritate præstabat, perscripsit, ac impense rogavit, ut hujus Collegii auspicia promoveret.

A.C. 1547.

Ceterum Ignatius se ad stabiliendum, quod cæperat, opus non nisi pio fine permotum fuisse, luculenter testabatur, variisque in occasionibus animum a proprii quæstus studio alienum demonstrabat: eapropter Conimbricensis Collegii Rectori, ne ipse litem in suos motam urgeret, inhibuit, sed decisionem Lusitani Regis Legato relinqui voluit. Minus etiam eidem probabatur, quod sacros Ordines suscipientium examen a Societatis Patribus dependeret; censebat enim, quod ipsis nequaquam congrueret pronuntiare, an aliquis ad Sacros Ordines idoneus, vel ineptus esset, sed potius ipsimet contenti forent, ut circa illius scientiam, datasque responsiones duntaxat sententiam suam edicerent. Insuper non tolerare poterat, quod vel minima novitas in ejus societatem introduceretur, hinc sese, quantum poterat, omnibus viribus opponebat, quinimo tanquam rebelles, hostesque habebat illos, qui quemdam Instituti articulum sub majoris perfectionis obten-

obtentu immutare moliebantur. Inte-
 rim suos alumnos communi duntaxat
 sanctitate contentos fore nolebat, sed
 potius insistebat, ut quis omnem sui
 status perfectionem assequeretur, ad
 quam eos identidem excitabat, ea ex-
 ponens, quæ Deus ab illis iuxta voca-
 tionis gratiam exposceret.

§. CXI.

*Pater Jaius Ferrariæ cum D. Ignatio
 commorans.*

Exeunte Mense Julio Pater Jaius a Bo-
 noniensi Concilio redux Ferrariæ
 substitit: cum autem tum Hercules E-
 stensis Ferrariæ Dux Collegium quod-
 dam condidisset, illudque Ignatii Socii
 tradere vellet, ad hujus propositi exe-
 cutionem peropportunos Duci accidit
 Patris Jaji adventus, unde eum ibi
 persistere iussit, parum sollicitus, an il-
 lius præsentia alibi esset necessaria. Pla-
 cuit etiam Ducis consilium Guidoni
 Mutinensi Archiepiscopo: cum tamen
 Hercules absque Præpositi consensu ni-
 hil aggredi vellet, hinc datis ad S. I-
 gnatium literis totam rem eidem mani-
 festavit, qui non sine gaudio Ducis præ-
 cibus cessit. Ceterum humilitas, qua
 Pater Jajus Tergestinum Episcopatum
 acceptare recusabat, illum Ferrariæ
 pluri-

*Orland. n. 34
 & seqq.*

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

plurimum commendabat, aliunde vero, cum natione Gallus esset, vel ideo Ferrariensi Ducissæ, quæ Ludovici XII. filia novis Reformatoribus plurimum favebat, magis acceptus erat. Itaque Dux, ut Patrem Jajum in sua ditione retinere posset, a summo Pontifice, ac Societatis Præposito consensum petiit, obtinuitque, priusquam tamen Jajus Ferrariam contenderet, datis literis Ignatium rogavit, ut de modo, quo huic Duci inserviret, illum instruere velit, cui hæc respondit Ignatius „ ad inservien-
„ dum Illustrissimo Societatis Protecto-
„ ri a summo Pontifice vocatus es, proin-
„ totum te ad hujus Principis obsequium
„ dedas, nec unquam eo haud prius con-
„ sulto, ac consentiente in ejus ditionibus
„ quicquam aggrediaris. „ Cum ergo Dux Divini beneficii loco haberet, quod Patris Jaji præsentia frueretur, hinc primas eo curas intendit, ut propriam suam vitam corrigeret, ac juxta Christianæ legis præcepta mores suos componeret: unde præprimis totum se sacris pietatis exercitiis devovit, Directore usus Patre Jajo, qui suum domicilium in Xenodochio figere voluit, ubi levandis pauperum, ac infirmorum miseris plurimum operæ, & temporis insumebat, obtenta ad id a Salviato Cardinale,

dinale, & Ferrariensi Episcopo plena Sæcul. XVI.
A.C. 1547.
agendi facultate.

§. CXII.

Societatis status in Germania, & aliis locis.

Postquam Carolus V. Imperator pluri- *Orlandini*
mas de Protestantibus victorias re- *n. 39.*
portaverat, Bobadilla unice intentus
erat, ut in Germania Religio Catholica
refloresceret: hanc ob rem Passavium,
ac Ratisbonam petens obtinuit, ut pro
felici armorum successu publicæ decer-
nerentur preces, postea hac urbe
excedens Augustam rediit, iisdem pie-
tatis operibus rursus se totum conse-
crans, inde vero Coloniam delatus, post
ejectum Archiepiscopum Hermanum
faciliori labore sese revocandæ fidei im-
pendere poterat. Porro S. Ignatii Alu-
mni, qui Lovanii variis in ædibus di-
spersi habitabant, in unum congregati,
præsumpto Præpositi Generalis consen-
su, Cornelium Wishavium in Collegiū
Rectorem elegerunt: ceterum Pariliis
nil novi hoc anno accidit; adhucdum
enim Socii exiguo numero ibidem agen-
tes ædes Patrum Carthusianorum inco-
lebant, ac Instituti sui exercitiis operam
navabant, nondum tamen firmam se-
dem figere poterant: In Hispaniis vero
can-

Sæcul. XVI. cuncta huic Societati prospera evenere;
A.C. 1547. quippe Araozus secunda jam vice Pro-
 vincialis munus obibat, & Alvaresius,
 celebris Philosophus eodem tempore
 unacum Jacobo Cavallario, Joanne San-
 ctio, & Petro Tabulafesio Societati no-
 men dabat. Denique eodem hoc anno
 Cæsar - Augustanum Collegium erigi
 cæpit.

§. CXIII.

*Evangelici labores Francisci Xaverii
in Indiis.*

Turselin. vit. **N**ec minus prospero successu Religio
S. Franc. Catholica in Indiis propagari cæ-
Xav. l. 2. c. 14 perat; quippe Franciscus Xaverius, post-
Et 16. quam Travancorensis Regni incolas
Orland. l. 5. Christo lucrificerat, Meliaporam, quæ
n. 88. a Lusitanis urbs D. Thomæ appellatur,
 contendit, ibidemque amplam Apostolici
 laboris segetem collegit, nec minus ibi
 multis ærumnis Christi amore toleratis,
 ac sepulcro, in quo Indi sacra D. Thomæ
 Apostoli ossa recondita venerantur, re-
 ligiose salutato iter aggressus est Mala-
 cam versus, inde Macazariam petiturus,
 quæ Insula a priscis Celebum dicta plus-
 quam nongentis quinquaginta Leucis
 Meliopora distat. Toto navigationis
 itinere unice misericordiæ operibus e-
 rat intentus, ac die vigesima quinta se-
 ptembris Anno nostræ salutis millesimo
 quin-

quingentesimo quadagesimo quinto Malacam pervenit, ubi æque, ac olim Goæ diverforium sibi selegit in Nosocomio, ibidemque totum tempus in ægrotorum ministerio absumpsit unacum corporum & animarum pariter salute; quippe non modo plebejos, sed & Nobiles ad honestæ, piæque vitæ studium feliciter perducebat, variis, mirisque artibus usus, quas ipsi innata comitas, ac mansuetudo fuggerebat, præterea pueros sacris doctrinis imbuebat, eorumque mores iuxta Evangelii præcepta instituebat, catechismos quoque, aliosque pios libros in patrium idioma verti iussit, ac plurium interpretum subsidio usus quamplurimos ad veritatis semitam perduxit tam Idololatrias, quam Mahometanos, ac Iudæos, ex quibus pertinaciores, cum suavi doctrinæ virtuti resisterent, tandem miraculorum vi cedere compellebantur.

§. CXIV.

Xaverius Macazariam petens, atque ad Ternatem Insulam appulsus.

Sub idem tempus Joannes de Castro novus Indiarum Prorex, atque Alphonsi de Sosa Successor e Societate tres Viros Apostolicos a D. Ignatio submissos secum conduxerat, quos Xaverius

Sæcul. XVI.
A.C. 1547.

Turfel. l. 2.
c. 18. & l. 3.
c. 1.

Sæc. XVI.
A.C. 1547.

rius non sine animi lætitia excepit, priusquam vero classem conscendere posset Macazariam petiturus, vicinis Insulis, quæ Evangelicis Ministris adhuc destitutæ erant, Catholicæ fidei lumen suis prædicationibus inferre studuit, primaque Januarii die Anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo sexto conscensa navi ad Bandas Insulas cursum promovit, ibidemque omnes classarios ad Christi fidem perduxit, sexta autem navigationis septimana Amboini, quæ commercii opportunitate percelebris est Insula, exscendit, atque inde Macazariam petens, eo itinere tenuit Ternatam Insulam, alias ab Amboino milliaria ferme ducenta, quæ ultra sexaginta leucas Lusitanas conficiunt, distitam, atque inter quinque Moluccensium Insulas tanquam præcipua celebratur. Xaverius ibidem appulsus in suburbanis Beatæ Virginis ædibus, quæ *Barra* dicuntur, diversatus est, ubi statim solita pietatis ministeria obire cæpit. Eo tempore intra ambitum plusquam trecentarum leucarum, quibus hæc Insula circumscribitur, nonnisi septem numerabantur pagi, in quibus Christiani indigenæ habitabant omni Sacerdote destituti, eoquod horum postremus non ita pridem etiam vita functus esset. Igitur Xaverius in hisce Pa-
gis

gis Christianæ Religionis fervorem rursus accendere cæpit, omnes sacris doctrinis imbuendo, ac Sacramenta administrando, unde divinum Verbum potenti Dei brachio suffultum, ac per ejus famulum efficaciter prædicatum inter Moluccenses miram operabatur mutationem; quippe non pauci concubinis assueti luxuriæ flammam conjugii honestate extinguebant, fœneratores iniquo quæstu parta restituebant, & incolæ mores suos corrigebant, ac demum impii contractus declarabantur invalidi, necnon juvenum aures tot doctrinæ Christianæ præceptis implebantur, ut universa urbs non nisi sacris cantilenis, quas ejus incolæ didicerant, resonaret.

Sæcul. XVI.

A.C. 1547.

§. CXV.

Franciscus Xaverius ad Mauricas Insulas profectus.

Tandem Xaverius Ternate Mauricam, *Orland. l. 6.*
 seu ad Mauri Insulas pervenit, ibi *n. 102.*
 demque non paucos, quamvis gens esset *Turfelin.*
 prorsus barbara, humanitatisque experta, *Ibid. l. 3. c. 2.*
 inter mille pericula, atque ærumnas ad *Orland. l. 7.*
 Christi vexilla reduxit. Equidem amici *n. 10. Et seq.*
 ci, ut Xaverium ab hoc itinere abstererent, omnem movebant lapidem, veriti, ne ab hisce incolis tanquam extremæ ipforum crudelitatis victima absumerentur.

Hist. Eccles. Tom. XXXIX. H h me-

Sæcul. XVI. meretur: verum hæc discrimina nulla-
A. C. 1547•tenus Xaverii ardorem restinguere po-
 terant, dumque nonnulli Gubernatorem,
 ut Xaverio navigii opportunitatem a-
 dimere vellet, hortarentur, Xaveriumque
 adeuntes eadem pericula, mortisque
 certitudinem, cui sese exponeret, ei ex-
 aggerarent, hic illis respondit: *nulla for-
 mido pericula, nullumque genus mortis, u-
 bi de Dei cultu, & animarum salute agitur,
 mihi certum, deliberatumque est in Mau-
 ricam Deum vocantem sequi.* Itaque suos
 amicos valere iussit, ac navigationi pro-
 ximus nuntium longe acceptissimum
 accepit; literis enim significabatur, quod
 novem Societatis alumni e Lusitania
 Goam advecti essent, atque inter eos
 quinque Sacerdotes Franciscus Peres,
 Alphonsus Cyprianus, Henricus Henri-
 ques, Franciscus Henricus, & Nunnus
 Ribera præter ceteros quatuor nondum
 Sacris initiatos, Balthasarum Nunnium,
 Adamum Franciscum, Nicolaum Nun-
 nium, & Emanuelem Morales. Ho-
 rum ergo cuilibet Xaverius in va-
 riis Provinciis suum diverforium desi-
 gnavit, ipse vero postea Anno Domini
 millesimo quingentesimo quadagesimo
 sexto Mense Majo ex Ternate, cum sol-
 vissit, ad Insulam Mauricam incolumis
 pervenit.

LIV.

Sæcul. XVI.
A C. 1547.

§. CXVI.

*Ternatem, & Malacam reversus, inde-
que Goam appulsus.*

Igitur Xaverius feros illius Insulæ ho-
mines mitioribus ingeniis imbutos ad
Christianæ vitæ mores revocavit, eisque
fervidis admodum sermonibus infero-
rum pœnas exposuit, in quas impii per o-
mnem æternitatem damnandi præcipi-
tes ruerent, & perpetua divinæ vindi-
ctæ, quam spreverunt, victima existe-
rent. His tamen minis Xaverius dun-
taxat illos territabat, apud quos æque
miseratio, ac captandæ benevolentia
studium Christiano Apostolo dignum ni-
hil amplius proficiebat. Diversis ita-
que mediis in procuranda Mauricen-
sium salute adhibitis, ac plusquam vi-
ginti quinque millibus sacro fonte ab-
lutis Molucum inde repetens Ternatem
reversus est, atque ab incolis ingenti
gaudio exceptus, integrum semestre
cum illis versabatur, ibidemque opitu-
lante Lusitano Rege societatis suæ do-
micilium instituit. Postea Amboinios
revisurus, eos in fide jamjam annuntiata
confirmavit, casamque exiguam sibi, suo-
que socio e stramentis extruxit. Huic ex
eodem opere adjecit sacram ædiculam,
ubi nautis, & classariis Confessionis, ac

*Bouhours vie
de S. Xav.
l. 3. p. 102. &
l. 4. p. 215.*

H h 2

Eu-

XVI.

Sæcul. XVI. Eucharistiæ Sacramenta administraret.
A C. 1547. Demum Mense Julio Anno Domini mil-
 lesimo quingentesimo quadragesimo se-
 ptimo Malacam eo tempore pervenit,
 quo tres alii ex eadem Societate Viri
 Apostolici advenerant, qui postea acce-
 ptis literis in Molucum secesserunt cun-
 cta a Xaverio fata culturi: Ipse vero
 nonnisi exeunte anno inde discessit, post-
 quam Lusitani per ejus merita, ac con-
 silia in Moluccensi Regno ingentem re-
 portarunt victoriam, Regemque Achin-
 num, qui juratus Religionis Christianæ
 hostis Somatræ Insulæ ad Septentrio-
 nem imperabat, strenue profligarunt.
 Tandem Xaverius ineunte Anno repa-
 ratæ salutis millesimo quingentesimo
 quadragesimo octavo Goam con-
 tendit, ibidem Indiæ negotia
 promoturus.

